ANTOLOGÍA ESCOLAR

LATINA

por

Guillermo Jünemann



[illegible]

[illegible]

[illegible]



ANTOLOGÍA ESCOLAR LATINA

(CON INCLUSION DE LO QUE SE EXIGE EN EL

EXAMEN DE LATIN PARA EL

BACHILLERATO EN CHILE)

POR

Guillermo Jünemann





CONCEPCIÓN

ESCUELA DE ARTES Y OFICIOS DE S. JOSE

1912



DE BELLO GALLICO

Aprestos bélicos de los Helvecios

LIBRO PRIMERO

(I-XII)

I. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam íncolunt Belgae, aliam Aquitani; tertiam, qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, légibus inter se dífferunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dívidit. Horum omnium fortíssimi sunt Belgae, proptérea quod a cultu atque humanitate provinciae longíssime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe cómmeant atque ea, quae ad effeminandos ánimos pértinent, important proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum íncolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa, Helvetii quoque réliquos Gallos virtute praecédunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis fínibus eos próhibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flúmine Rhódano, continetur Garumna flúmine, Océano, finibus Belgarum, attingit

etiam ab Sequanis et Helvetiis flúmen Rhenum, vergit ad septentriones. Belgae ab extremis Galliae finibus Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem. Aquitania a Garumna flúmine ad Pyrenaeos montes et eam partem Océani, quae est ad Hispaniam, pértinet; spectat inter ocasum solis et septentriones.

II Apud Helvetios longe nobilíssimus fuit et ditíssimus Orgétorix. Is, M. Messala et M. Pupio Pisone consúlibus, regni cupiditate inductus conjurationem nobilitatis fecit et civitati persuasit, ut de fínibus suis cum ómnibus copiis exirent: perfácile esse, cum virtute ómnibus praestarent, totíus Galliae imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quod úndique loci natura Helvetii continentur: una ex parte flúmine Rheno latíssimo atque altíssimo, qui agrum Helvetium a Germanis dívidit, altera ex parte monte Jura altíssimo, qui est inter Sequanos et Helvetios, tertia lacu Lemanno et flúmine Rhódano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dívidit. His rebus fiebat, ut et minus late vagarentur et minus fácile finítimis bellum inferre possent; qua ex parte hómines bellandi cúpidi magno dolore afficiebantur. Pro multitúdine autem hóminum et pro gloria belli atque fortitúdinis angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitúdinem milia passuum ccx , in latitúdinem cxxx patebant.

III. His rebus adducti, et auctoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, comparare; jumentorum et carrorum quam

máximum númerum coémere; sementes quam máximas fácere, ut in itínere copia frumenti suppéteret; cum próximis civitátibus pacem et amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biénnium sibi satis esse duxerunt, in tertium annum profectionem lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgétorix delígitur. Is, ubi legationem ad civitates suscepit, in eo itínere persuadet Cástico, Catamantaloedis filio, Sequano, cujus pater regnum in Sequanis multos annos obtinúerat, et a senatu populi Romani, amicus appellatus erat, ut regnum in civitate sua occuparet, quod pater ante habúerat: itemque Dumnorigi Æduo, fratri Divitíaci, qui eo témpore principatum in civitate obtinebat ac máxime plebi acceptus erat, ut idem conaretur, persuadet, eique filiam suam in matrimonium dat. Perfácile factu esse illis probat conata perfícere, propterea quod ipse suae civitatis imperium obtenturus esset: non esse dubium, quin totius Galliae plúrimum Helvetii possent: se suis copiis suoque exércitu illis regna conciliaturum confirmat. Hac oratione adducti, inter se fidem et jusjurandum dant, et, regno occupato, per tres potentíssimos ac firmíssimos pópulos totíus Galliae sese potiri posse sperant.

IV Ea res est Helvetiis per indicium enunciata. Móribus suis Orgetorigem ex vinclis causam dícere coëgerunt; damnatum poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Die constituta causae dictionis, Orgétorix ad judicium omnem suam familiam, ad hóminum millia decem, úndique coëgit et omnes clientes obaeratosque

suos, quorum magnum númerum habebat, eodem conduxit; per eos, ne causam díceret, se eripuit. Cum cívitas ob eam rem incitata armis jus suum éxsequi conaretur, multitudinemque hóminum ex agris magistratus cógerent, Orgétorix mortuus est; neque abest suspicio, ut Helvetii arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciverit.

V. Post eius mortem nihilóminus Helvetii id, quod constitúerant, fácere conantur, ut e fínibus suis exeant. Ubi jam se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, óppida sua omnia, número ad duódecim, vicos ad quadringentos, réliqua privata aedificia incendunt, frumentum omne, praeter quod secum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublata paratiores ad omnia perícula subeunda essent; trium mensium mólita cibaria sibi quemque domo efferre jubent. Persuadent Ráuricis et Tulingis et Latovicis finítimis suis, uti, eodem usi consilio óppidis suis vicisque exustis, una cum iis proficiscantur, Bojosque, qui trans Rhenum incolúerant et in agrum Nóricum transíerant Norejamque oppugnarunt, receptos ad se socios sibi adsciscunt.

VI. Erant omnino itínera duo, quibus itinéribus domo exire possent: unum per Séquanos, angustum et diffícile, inter montem Juram et flumen Rhódanum, vix qua sínguli carri ducerentur; mons autem altíssimus impendebat, ut fácile perpauci prohibere possent; álterum per provinciam nostram, multo facilius atque expeditius, propterea quod Helvetiorum inter fines et

Allóbrogum, qui nuper pacati erant, Rhódanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur. Extremum óppidum Allóbrogum est, proximumque Helvetiorum fínibus, Génava. Ex eo óppido pons ad Helvetios pértinet. Allobrógibus sese vel persuasuros, quod nondum bono ánimo in pópulum romanum viderentur, existimabant; vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhódani omnes conveniant: is dies erat a. d. v. Kal. Apr. L. Pisone, Aulo Gabinio coss.

VI. Cáesari cum id nuntiatum esset, eos per provinciam nostram iter fácere conari, maturat ab urbe proficisci et, quam máximis potest itinéribus, in Galliam ulteriorem contendit et ad Génavam pérvenit, provinciae toti quam máximum potest mílitum númerum ímperat (erat omnino in Gallia ulteriore legio una), pontem, qui erat ad Génavam, jubet rescindi. Ubi de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilíssimos civitatis, cujus legationis Nammejus et Verucloetius príncipem locum obtinebant, qui dícerent, sibi esse in ánimo sine ullo maleficio iter per provinciam fácere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut eius voluntate id sibi fácere líceat.

Caesar, quod memoria tenebat, L. Cassium cónsulem occisum exercitumque ejus ab Helvetiis pulsum et sub jugum missum, concedendum non putabat; neque hómines inimico ánimo data facultate per provinciam itíneris faciendi temperaturos ab injuria et maleficio exi-

timabat. Tamen, ut spatium intercédere posset, dum mílites, quos imperáverat, convenirent, legatis respondit diem se ad deliberandum sumpturum; si quid vellent, ad Id. April.reverterentur.

VIII. Interea ea legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex provincia convénerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhódanum influit, ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dívidit, millia passuum decem murum, in altitúdinem pedum sédecim, fossamque perducit. Eo ópere perfecto, praesidia disponit, castella communit, quo facilius, si se invito transire conarentur, prohibere possit. Ubi ea dies, quam constitúerat cum legatis, venit, et legati ad eum reverterunt, negat, « se more et exemplo pópuli romani posse iter ulli per provinciam dare; et, si vim fácere conentur, prohibiturum ostendit. » Helvetii, ea spe dejecti, návibus junctis ratibusque complúribus factis, alii vadis Rhódani, qua mínima altitudo flúminis erat, nonnunquam interdiu, saepius noctu, si perrúmpere possent, conati, óperis munitione et mílitum concursu et telis repulsi, hoc conatu destiterunt.

IX Relinquebatur una per Sequanos via, qua Sequanis invitis propter angustias ire non póterant. His cum sua sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Aeduum mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis impetrarent. Dúmnorix gratia et largitione apud Sequanos plúrimum póterat et Helvetiis erat amicus, quod ex ea civitate Orgetorigis filiam in matrimonium

dúxerat, et cupiditate regni adductus novis rebus studebat et quam plúrimas civitates suo beneficio habere obstrictas volebat. Itaque rem súscipit et a Sequanis ímpetrat ut per fines suos Helvetios ire patiantur, obsidesque uti inter sese dent, pérficit: Sequani, ne itínereHelvetios prohibeant, Helvetii, ut sine maleficio et injuria transeant.

X. Cáesari renuntiatur, Helvetiis esse in ánimo per agrum Sequanorum et Æduorum iter in Sántonum fines fácere, qui non longe a Tolosatium fínibus absunt, quae cívitas est in provincia. Id si fíeret, intelligebat, magno cum provinciae perículo futurum, ut hómines bellicosos, pópuli romani inimicos, locis paténtibus maximeque frumentariis finítimos haberet. Ob eas causas ei munitioni, quam fécerat, T. Labienum legatum praefecit : ipse in Italiam magnis itinéribus contendit, duasque ibi legiones conscribit, et tres, quae circum Aquilejam hiemabant, ex hibernis educit, et, qua próximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quinque legiónibus ire contendit. Ibi Ceútrones et Grajóceli et Caturiges, locis superioribus occupatis, itínere exércitum prohibere conantur. Complúribus his praeliis pulsis, ab Ocelo, quod est citerioris provinciae extremum, in fines Vocontiorum ulterioris provinciae die séptimo pérvenit: inde in Allóbrogum fines, ab Allobrógibus in Segusianos exércitum ducit. Hi sunt extra provinciam trans Rhódanum primi.

XI Helvetii jam per angustias et fines Sequanorum suas copias tradúxerant, et in Aeduorum fines pervénerant eorumque agros populabantur. Aedui, cum se súaque ab

iis defendere non possent, legatos ad Cáesarem mittunt rogatum auxilium: «Ita se omni témpore de pópulo romano méritos esse, ut pene in conspectu exércitus nostri, agri vastari, líberi eorum in servitutem abduci, óppida expugnari non debúerint.» Eodem témpore quo Aedui, Ambarri quoque, necessarii et consanguínei Aeduorum, Cáesarem certiorem faciunt sese, depopulatis agris non fácile ab óppidis vim hostium prohibere: item Allóbroges, qui trans Rhódanum vicos possessionesque habebant, fuga se ad Cáesarem recipiunt, et demonstrant, sibi praeter agri solum nihil esse réliqui. Quibus rebus, adductus Caesar, non exspectandum sibi statuit, dum, ómnibus fortunis sociorum consumptis, in Sántonos Helvetii pervenirent.

DERROTA DE ARIOVISTO

LIBRO PRIMERO (L-FIN)

L. Próximo die instituto suo Caesar e castris utrisque copias suas eduxit paulumque a majóribus castris progressus aciem instruxit, hóstibus pugnandi potestatem fecit. Ubi ne tum quidem eos prodire intellexit, círciter meridiem exércitum in castra reduxit. Tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quae castra minora oppugnaret, misit. Acriter utrimque usque ad vésperum pugnatum est. Solis occasu suas copias Ariovistus multis et illatis et acceptis vulnéribus in castra reduxit. Cum ex captivis quaéreret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat cau-

sam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiae eorum sórtibus et vaticinatiónibus declararent, utrum proelium commiti ex usu esset necne; eas ita dícere: non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam proelio contendissent.

LI. Postridie ejus diei Caesar praesidio utrisque castris, quod satis esse visum est, reliquit; omnes alarios in conspectu hostium pro castris minóribus constituit, quod minus multitúdine mílitum legionariorum pro hostium número valebat, ut ad speciem alariis uteretur. Ipse, tríplice instructa acie, usque ad castra hostium accessit. Tum demum necessario Germani suas copias castris eduxerunt, generatimque constituerunt, paribusque intervallis Harudes, Marcomanos, Tríboces, Vangiones Nemetes, Sedusios, Suebos; omnemque aciem suam rhedis et carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur. Eo mulíeres imposuerunt, quae in proelium proficiscentes mílites passis mánibus flentes implorabant ne se in servitutem Romanis tráderent.

LII. Caesar síngulis legiónibus síngulos legatos et quaestorem praefecit, uti eos testes suae quisque virtutis haberet; ipse a dextro cornu, quod eam partem mínime firmam hostium esse animadvérterat, proelium commisit. Ita nostri ácriter in hostes signo dato ímpetum fecerunt, ítaque hostes repente celeriterque procurrerunt, ut spatium pila in hostes conjiciendi non daretur. Rejectis pilis cómminus gladiis pugnatum est. At Germani celériter ex consuetúdine

sua phalange facta ímpetus gladiorum exceperunt. Reperti sunt complures nostri mílites, qui in phalangas insilirent et scuta mánibus revéllerent et désuper vulnerarent. Cum hostium acies a sinistro cornu pulsa atque in fugam conversa esset, a dextro cornu vehementer multitúdine suorum nostram aciem premebant. Id cum animadvertisset Publius Crassus adolescens, qui equitatui práeerat, quod expeditior erat quam ii, qui inter aciem versabantur, tertiam aciem laborántibus nostris subsidio misit.

LIII. Ita praelium restitutum est, atque omnes hostes terga verterunt, neque prius fúgere destiterunt, quam ad flumen Rhenum millia passuum ex eo loco círciter quinquaginta pervénerint. Ibi perpauci, aut víribus confisi, transnatare contenderunt, aut líntribus inventis sibi salutem repererunt. In his fuit Ariovistus, qui navículam deligatam ad ripam nactus, ea profugit: réliquos omnes consecuti équites nostri interfecerunt. Duae fuerunt Ariovisti uxores, una Sueba natione, quam ab domo secum edúxerat; altera Nórica, regis Voccionis soror, quam in Gallia dúxerat, a fratre missam: utraeque in ea fuga perierunt. Duae filiae harum, altera occisa, altera capta est. C. Valerius Procillus, quum a custódibus in fuga trinis catenis vinctus traheretur, in ipsum Cáesarem, hostes equitatu persequentem, íncidit. Quae quidem res Cáesari non minorem, quam ipsa victoria, voluptatem áttulit; quod hómi-

nem honestíssimum provinciae Galliae, suum familiarem et hóspitem, ereptum e mánibus hostium, sibi restitutum videbat; neque ejus calamitatem de tanta voluptate et gratulatione quidquam fortuna deminúerat. Is se praesente de se ter sórtibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur an in aliud tempus reservaretur: sortium beneficio se esse incólumen. Item Marcus Metius repertus et ad eum reductus est.

LIV. Hoc proelio trans Rhenum nuntiato Suebi, qui ad ripas Rheni vénerant, domum reverti coeperunt; quos Ubii, qui próximi Rhenum íncolunt, pertérritos insecuti magnum ex his númerum occiderunt. Caesar, una aestate duobus máximis bellis confectis, maturius paulo, quam tempus anni postulabat, in hiberna in Sequanos exércitum deduxit; hibernis Labienum praeposuit; ipse in citeriorem Galliam ad conventus agendos profectus est.

COSTUMBRES DE LOS GALOS Y GERMANOS

LIBER SEXTUS (XIII-XXIX)

XIII. In omni Gallia eorum hóminum, qui áliquo sunt número atque honore, génera sunt duo. Nam plebes paene servorum habetur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio. Plerique, cum aut aere alieno aut magnitúdine tributorum aut injuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobílibus, quibus in hos éadem omnia sunt jura, quae

dóminis in servos. Sed de his duobus genéribus álterum est drúidum, alterum équitum. Illis rebus divinis intersunt, sacrificia pública ac privata procurant, religiones interpretantur: ad eos magnus adolescentium númerus disciplinae causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore. Nam fere de ómnibus controversiis públicis privatisque constítuunt, et si quod est admissum fácinus, si caedes facta, si de hereditate, si de fínibus controversia est, iidem decernunt, praemia poenasque constítuunt; si quis aut privatus aut pópulus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravíssima. Quibus ita est interdictum, hi número impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, áditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incómmodi accipiant, neque his peténtibus jus rédditur neque honos ullus communicatur. His autem ómnibus druídibus praeest unus qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo aut, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio drúidum, non numquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in fínibus Carnutum, quae regio totíus Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes úndique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis judiciisque parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illuc discendi causa proficiscuntur.

XIV. Drúides á bello abesse consuerunt, neque tributa una cum réliquis pendunt, militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem, Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a paréntibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi númerum versuum edíscere dicuntur. Ítaque annos non nulli xx in disciplina pérmanent. Neque fas esse exístimant ea litteris mandare, cum in réliquis fere rebus, públicis privatisque ratiónibus, Graecis utantur litteris. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere plerisque áccidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, non interire ánimas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc máxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa praeterea de sidéribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitúdine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate dísputant et juventuti tradunt.

XV. Álterum genus est équitum. Hi, cum est usus, atque áliquod bellum íncidit quod ante Caesaris adventum fere quotannis accídere solebat, uti aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent), omnes in bello versantur: atque eorum ut quisque est génere copiisque

amplíssimus, ita plúrimos circum se ambactos clientesque habent. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

XVI. Natio est omnium Gallorum ádmodum dédita religiónibus; atque ob eam causam, qui sunt affecti gravióribus morbis, quique in praeliis periculisque versantur, aut pro víctimis hómines ímmolant, aut se immolaturos vovent administrisque ad ea sacrificia druídibus utuntur, quod, pro vita hóminis nisi hóminis vita reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque ejusdem géneris habent instituta sacrificia. Alii immani magnitúdine simulacra habent, quorum contexta vimínibus membra vivis homínibus complent; quibus succensis circumventi flamma exanimantnr hómines. Supplicia eorum, qui in furto aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora diis immortálibus esse arbitrantur; sed cum ejus géneris copia defecit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

XVII. Deum máxime Mercurium colunt; hujus sunt plúrima simulacra, hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itínerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim máximam arbitrantur; post hunc Apóllinem et Martem et Jovem et Minervam. De his eandem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apóllinem morbos depéllere, Minervam óperum atque artificiorum initia trádere, Jovem imperium caelestium tenere, Martem

bella régere. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperint, plerumque dévovent; cum superaverunt, animalia capta ímmolant reliquasque res in unum locum cónferunt. Multis iu civitátibus harum rerum exstructos túmulos locis consecratis conspicari licet; neque saepe áccidit, ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut pósita tóllere auderet gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

XVII. Galli se omnes ab Dite patre prognatos práedicant; idque ab druídibus próditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis témporis non número dierum, sed noctium, finiunt: dies natales, et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. In réliquis vitae institutis hoc fere ab réliquis dífferunt, quod suos líberos, nisi quum adoléverint, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur; filiumque puerili aetate in público, in conspectu patris, assistere, turpe ducunt.

XIX. Viri, quantas pecunias ab uxóribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta, cum dótibus commúnicant. Hujus omnis pecuniae conjunctim ratio habetur, fructusque servantur: uter eorum vita superavit, ad eum pars utriusque cum frúctibus superiorum témporum pervenit. Viri in uxores, sicut in líberos vitae necisque habent potestatem: et quum pater familiae, illustriori loco natus, decessit, ejus propinqui conveniunt, et, de morte si res in suspicionem venit, de

uxóribus in servilem modum quaestionem habent; et, si compertum est, igni atque ómnibus tormentis excruciatas interficiunt. Fúnera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omníaque, quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem ínferunt, etiam animalia: ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, justis funéribus confectis, una cremabantur.

XX. Quae civitates commodius suam rem públicam administrare existimantur, habent légibus sanctum si quis quid de re pública a finítimis rumore aut fama accéperit, uti ad magistratum déferat neve cum quo alio commúnicet, quod saepe hómines temerarios atque imperitos falsis rumóribus terreri et de summis rebus consilium cápere cógnitum est. Magistratus, quae visa sunt, occultant, quaeque esse ex usu judicavérunt, multitúdini produnt. De re pública nisi per concilium loqui non concéditur.

XXI. Germani multum ab hac consuetúdine dífferunt. Nam neque drúides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. Deorum número eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte ópibus juvantur, Solem et Vulcanum et Lunam, réliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venatiónibus atque in studiis rei militaris consistit; ab párvulis labori ac duritiae student. Qui diutíssime impúberes permanserunt, máximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali hoc vires,nervosque confirma-

ri putant. Intra annum vero vicésimum féminae notitiam habuisse, in turpíssimis habent rebus: cujus rei nulla est occultàtio, quod et promiscue in fluminibus perluuntur, et péllibus aut parvis rhenonum tegimentis utuntur, magna córporis parte nuda.

XXII. Agriculturae non student; majorque pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit: neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac príncipes in annos síngulos géntibus cognationibusque hóminum, qui una coierunt, quantum, et quo loco visum est, agri attríbuunt: atque anno post alio transire cogunt. Ejus rei multas áfferunt causas, ne, assidua consuetúdine capti, studium belli gerundi agricultura commutent, ne latos fines parare studeant; potentioresque humiliores possessiónibus expellant; ne accuratius, ad frígora atque aestus vitandos, aedíficent: ne qua oriatur pecuniae cupíditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut ánimi aequitate plebem contineant, quum suas quisque opes çum potentíssimis aequari videat.

XXIII. Civitátibus máxima laus est, quam latissimas circum se vastatis fínibus solitúdines habere. Hoc proprium virtutis exístimant, expulsos agris finítimos cédere, neque quemquam própe audere consístere: simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinae incursionis timore sublato. Quum bellum cívitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus

communis est magistratus; sed príncipes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cujusque civitatis fiunt; atque ea juventutis exercendae ac desidiae minuendae causa fieri práedicant. Atque ubi quis ex princípibus in concilio dixit, se ducem fore; qui sequi velint, profiteantur: consurgunt ii, qui et causam et hóminem probant, suumque auxilium pollicentur, atque ab multitúdine collaudantur: qui ex iis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum número ducuntur, ómniumque iis rerum postea fides derogatur. Hóspites violare, fas non putant: qui, quaque de causa, ad eos vénerint, ab injuria próhibent, sanctosque habent; iis omnium domus patent victusque communicatur.

XXIV. Ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hóminum multitúdinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mítterent. Itaque ea, quae fertilíssima sunt, Germaniae loca circum Hercyniam silvam, (quam Eratóstheni et quibusdam Graecis fama notam esse video, quam illi Orcyniam appellant,) Volcae Tectosages occupaverunt, atque ibi consederunt. Quae gens ad hoc tempus iis sédibus sese cóntinet, summamque habent justitiae et béllicae laudis opinionem: nunc quoque in eadem inopia, egestate, patientia, qua ante Germani pérmanent; eodem victu et cultu córporis utuntur; Gallis autem provinciae propínquitas, et transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque usus largitur. Paulatim assuefacti su-

perari, multisque victi praeliis, ne se quidem ipsi cum illis virtute cómparant.

XXV. Hujus Hercyniae silvae, quae supra demonstrata est, latitudo novem dierum iter expedito patet: non enim áliter finiri potest, neque mensuras itínerum noverunt. Óritur ab Helvetiorum, et Nemetum, et Rauracorum fínibus, réctaque flúminis Danubii regione pértinet ad fines Dacorum et Anartium: hinc se flectit sinistrorsus, diversis ab flúmine regiónibus, multarumque gentium fines propter magnitúdinem attingit: neque quisquam est hujus Germaniae, qui se aut adisse ad initium ejus silvae dicat, quum dierum iter LX processerit, aut quo ex loco oriatur accéperit. Multa in ea genera ferarum nasci constat, quae réliquis in locis visa non sint: ex quibus, quae máxime dífferant ab céteris, et memoriae prodenda videantur, haec sunt.

XXVI. Est bos cervi figura, cujus a media fronte inter aures unum cornu existit, excelsius magisque directum his, quae nobis nota sunt, córnibus. Ab ejus summo, sicut palmae, rami quam late diffunduntur. Éadem est féminae marisque natura, éadem forma magnitudoque cornuum.

XXVII. Sunt item quae appellantur alces. Harum est consímilis capris figura, et varíetas pellium; sed magnitúdine paulo antecedunt, mutilaeque sunt córnibus, et crura sine nodis articulisque habent; neque quietis causa procumbunt: neque, si quo afflictae casu concíderint, erígere sese aut

sublevare possunt. His sunt árbores pro cubílibus: ad eas sese ápplicant, atque ita, paulum modo reclinatae, quietem capiunt: quarum ex vestigiis quum est animadversum a venatóribus. quo se recípere consuerint, omnes eo loco aut a radícibus subruunt, aut accidunt árbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur. Hunc quum se consuetúdine reclináverint, infirmas árbores póndere affligunt, atque una ipsae cóncidunt.

XXVIII. Tertium est genus eorum, qui uri appellantur. Hi sunt magnitúdine paulo infra elephantos; specie et colore et figura tauri. Magna vis est eorum, et magna velócitas: neque hómini, neque ferae, quam conspéxerint, parcunt. Hos studiose foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant homines adolescentes, atque hoc génere venationis exercent; et qui plúrimos ex his interfecerunt, relatis in públicum córnibus, quae sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuéscere ad hómines et mansuefíeri, ne párvuli quidem excepti, possunt. Amplitudo cornuum et figura et species, multum a nostrorum boum córnibus differt. Haec studiose conquisita ab labris argento circumcludunt, atque in amplíssimis épulis pro póculis utuntur.

DE BELLO CIVILI

BATALLA DE FARSALIA

LIBER III (LXXII-C)

LXXII. His rebus tantum fiduciae ac spíritus Pompejanis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed vicisse jam sibi viderentur. Non illi paucítatem nostrorum mílitum, non iniquitatem loci atque angustia, praeoccupatis castris, et ancípitem terrorem intra extraque munitiones, non abscissum in duas partes exércitum, quum áltera álteri auxilium ferre non posset, causae fuisse cogitabant. Non ad haec addebant, non ex concursu acri facto, non praelio dimicatum, sibique ipsos multitúdine atque angustiis majus attulisse detrimentum, quam ab hoste accepissent. Non dénique communes belli casus recordabantur, quam párvulae saepe causae vel falsae suspicionis, vel terroris repentini, vel objectae religionis, magna detrimenta intulissent; quoties vel culpa ducis, vel tribuni vitio, in exércitu esset offensum: sed proinde ac si virtute vicissent, neque ulla commutatio rerum posset accídere, per orbem terrarum fama ac lítteris victoriam ejus diei concelebrabant.

LXXIII. Caesar, ab superióribus consiliis depulsus, omnem sibi commutandam belli rationem existimavit. Ítaque uno témpore praesidiis ómnibus deductis, et oppugnatione dimissa, coactoque in unum locum exér-

citu, concionem apud mílites habuit, hortatusque est, ne ea, quae accidissent, gráviter ferrent, neve his rebus terrerentur, multisque secundis praeliis unum adversum, et id mediocre, opponerent: habendam fortunae gratiam, quod Italiam sine áliquo vúlnere coepissent: quod duas Hispanias, bellicosissimorum hóminum peritíssimis atque exercitatíssimis dúcibus, pacavissent; quod finítimas frumentariasque provincias in potestatem redegissent; dénique recordari debere, qua felicitate inter medias hostium classes, oppletis non solum pórtibus, sed etiam littóribus, omnes incólumes essent transportati: si non omnia cáderent secunda, fortunam esse industria sublevandam: quod esset acceptum detrimenti, ejus juri potius, quam suae culpae, debere tribui: locum se aequum ad dimicandum dedisse, potitum esse hóstium castris, expulisse ac superasse pugnantes: sed sive ipsorum perturbatio, sive error áliquis, sive etiam fortuna partam jam praesentemque victoriam interpellavisset, dandam ómnibus óperam, ut acceptum incómmodum virtute sarciretur: quod si esset factum, futurum, ut detrimentum in bonum vérteret, uti ad Gergoviam accidisset, atque ii, qui ante dimicare timuissent, ultro se praelio offerrent.

LXXIV. Hac hábita concione, nonnullus signíferos ignominia notavit, ac loco movit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incómmodo dolor, tantumque studium infamiae sarciendae, ut nemo, aut tribuni, aut centurionis imperium desideraret, et sibi quisque

etiam poenae loco graviores impóneret labores, simulque omnes arderent cupiditate pugnandi, quum superioris etiam órdinis nonnulli, oratione permoti, manendum eo loco, et rem praelio committendam existimarent. Contra ea Caesar neque satis milítibus pertérritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos ánimos putabat, et relictis munitiónibus, magnópere rei frumentariae timebat: ítaque, nulla interpósita mora, sauciorum modo et aegrorum hábita ratione, impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam praemisit, ac conquiéscere ante iter confectum vetuit. His una legio missa praesidio est.

LXXV. His explícitis rebus, duas in castris legiones reliquit, réliquas de quarta vigilia, complúribus portis eductas, eodem itínere praemisit; parvoque spatio intermisso, ut et militare institutum servaretur, et quam seríssime ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit; statimque egressus, et novíssimum agmen consecutus, celériter ex conspectu castrorum discessit. Neque vero Pompeius, cógnito consilio ejus, moram ullam ad insequendum íntulit: sed éadem spectans, si itínere impedito pertérritos deprehéndere posset, exércitum e castris eduxit, equitatumque praemisit ad novíssimum agmen demorandum; neque cónsequi potuit, quod multum expedito itínere antecésserat Cáesar. Sed quum ventum esset ad flumen Genusum, quod ripis erat impeditis, consecutus equitatus novíssimos praelio detinebat. Huic suos Caesar équites opposuit, expedi-

tosque antesignanos admiscuit CD; qui tantum profecerunt, ut, equestri praelio commisso, péllerent omnes, compluresque interfícerent, ipsi incólumes se ad agmen recíperent.

LXXVI. Confecto justo itínere ejus diéi, quod proposuerat Caesar, transductoque exército flumen Genusum, vetéribus suis in castris contra Asparagium consedit, militesque omnes intra vallum castrorum continuit, equitatumque, per causam pabulandi emissum, confestim decumana porta in castra se recípere jussit. Símili ratione Pompejus, confecto ejusdem diéi itinere, in suis vetéribus castris ad Asparagium consedit: ejusque mílites, quod ab ópere, íntegris munitiónibus, vacabant, alii lignandi pabulandique causa longius progrediebantur; alii, quod súbito consilium profectionis céperant, magna parte impedimentorum et sarcinarum relicta, ad haec repetenda invitati propinquitate superiorum castrorum, depósitis in contubernio armis, vallum relinquebant. Quibus ad sequendum impeditis, Caesar, quod fore províderat, meridiano fere témpore, signo profectionis dato, exércitum educit, duplicatoque ejus diéi itínere, octo millia pasuum ex eo loco discedit: quod fácere Pompejus discessu mílitum non potuit.

LXXVII. Póstero die Caesar, simíliter praemissis prima nocte impedimentis, de quarta vigilia ipse egréditur, ut, si qua impósita esset dimicandi necéssitas, súbitum casum expedito exércitu subiret. Hoc idem réliquis fecit diebus. Quibus rebus perfectum est, ut

altíssimis flumínibus atque impeditíssimis itinéribus nullum accíperet incómmodum. Pompejus enim, primi diéi mora illata, et reliquorum dierum frustra labore suscepto, quum se magnis itinéribus exténderet, et praegressos cónsequi cúperet, quarto die finem sequendi fecit, atque aliud sibi consilium capiendum existimavit.

LXXVIII. Caesari, ad saucios deponendos, stipendium exercitui dandum, socios confirmandos, praesidium úrbibus relinquendum, necesse erat adire Apolloniam. Sed his rebus tantum témporis tribuit, quantum erat properanti necesse: timensque Domitio, ne adventu Pompeji praeoccuparetur, ad eum omni celeritate et studio incitatus ferebatur. Totíus autem rei consilium his ratiónibus explicabat, ut, si Pompejus eodem conténderet, abductum illum a mari atque ab iis copiis, quas Dyrrachii comparáverat, frumento ac commeatu abstractum, pari conditione belli secum decertare cógeret; si in Italiam transiret, conjuncto exércitu cum Domitio per Illyricum Italiae subsidio proficisceretur; si Apolloniam Oricumque oppugnare, et se omni marítima ora exclúdere conaretur, obsesso Scipione, necessario illum suis auxilium ferre cógeret. Ítaque, praemissis nuntiis ad Cn. Domitium, Caesar scripsit, et, quid fíeri vellet, ostendit: praesidioque Apolloniae cohortibus IV, Lissi I, III Órici relictis, quique erant ex vulnéribus aegri, depósitis per Epirum atque Acarnaniam iter fácere coepit. Pompejus quoque, de Cáesaris consilio conjectura júdicans, ad Scipionem properan-

dum sibi existimabat, si Caesar iter illo haberet, ut subsidium Scipioni ferret; si ab ora maritima Oriciaque discédere nollet, quod legiones equitatumque ex Italia exspectaret, ipse ut ómnibus copiis Domitium aggrederetur.

LXXIX. Iis de causis uterque eorum celeritati studebat et suis ut esset auxilio, et, ad opprimendos adversarios, ne occasioni témporis deesset. Sed Cáesarem Apollonia a directo itínere avérterat: Pompejus per Candaviam iter in Macedoniam expeditum habebat. Accessit etiam ex improviso aliud incómmodum, quod Domitius, qui dies complures castris Scipionis castra collata habuisset, rei frumentariae causa ab eo discésserat, et Heracléam, quae est subjecta Candaviae, iter fécerat, ut ipsa fortuna illum objícere Pompejo videretur. Haec ad id tempus Caesar ignorabat. Simul, a Pompejo lítteris per omnes provincias civitatesque dimissis, de praelio ad Dyrrachium facto, latius inflatiusque multo, quam res erat gesta, fama percrebúerat, « pulsum fúgere Cáesarem, paene ómnibus copiis amissis.» Haec itínera infesta reddíderat, haec civitates nonnullas ab ejus amicitia avérterat. Quibus áccidit rebus, ut plúribus dimissi itinéribus, a Cáesare ad Domitium, et ab Domitio ad Caésarem, nulla ratione iter confícere possent. Sed Allóbroges, Raucilli atque Egi familiares, quos perfugisse ad Pompejum demonstrávimus, conspicati in itínere exploratores Domitii, seu prístina sua consuetúdine, quod una in Gallia bella gésserant, seu gloria elati, cuncta ut erant acta, exposuerunt, et Cáesaris profectionem et adventum

Pompeji docuerunt. A quibus Domitius certior factus, vix IV horarum spatio antecedens, hostium beneficio perículum vitavit, et ad Aeginium, quod est óppidum oppósitum Thessaliae, Cáesari veniente occurrit.

LXXX. Conjuncto exércitu, Caesar Gomphos pervenit, quod est óppidum primum Thessaliae venientibus ab Epiro; quae gens paucis ante ménsibus ultro ad Cáesarem legatos míserat, ut suis ómnibus facultátibus uteretur, praesidiumque ab eo mílitum petíerat. Sed eo fama jam praecúrrerat, quam supra docúimus, de praelio Dyrrachino, quod multis áuxerat pártibus. Ítaque Andrósthenes, praetor Thessaliae, quum se victoriae Pompeji cómitem esse mallet, quam socium Cáesaris in rebus adversis, omnem ex agris multitúdinem servorum ac liberorum in óppidum cogit, portasque praecludit, et ad Scipionem Pompejumque nuntios mittit, ut sibi subsidio veniant; se confídere munitiónibus óppidi, si celériter succurratur: longinquam oppugnationem sustinere non posse. Scipio, discessu exercítuum a Dyrrachio cógnito, Larissam legiones addúxerat: Pompejus nondum Thessaliae appropinquabat. Caesar, castris munitis, scalas musculosque ad repentinam oppugnationem fíeri et crates parari jussit. Quibus rebus effectis, cohortatus mílites docuit, «quantum usum haberet ad sublevandam omnium rerum inopiam potiri óppido pleno atque opulento; simul réliquis civitátibus hujus urbis exemplo inferre terrorem; et id fieri celériter, prius quam auxilia concúrrerent.» Ítaque, usus singulari mílitum studio,

eodem, quo vénerat, die, post horam nonam, óppidum altíssimis móenibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnavit, et ad diripiendum milítibus concessit; statimque ab óppido castra movit, et Metrópolim venit, sic, ut nuntios expugnati óppidi famamque antecéderet.

LXXXI. Metropolitae, primum eodem usi consilio, iisdem permoti rumóribus, portasque clauserunt, murosque armatis compleverunt: sed post ea, casu civitatis comprehensis cógnito ex captivis, quos Caesar ad murum producendos curáverat, portas aperuerunt. Quibus diligentíssime conservatis, collata fortuna Metropolitum cum casu Gomphensium, nulla Thessaliae fuit cívitas, praeter Larissaeos, qui magnis exercítibus Scipionis tenebantur, quin Cáesari parerent, atque imperata fácerent. Ille ségetis idoneum locum in agris nactus, quae prope jam matura erat, ibi adventum expectare Pompeji, eoque omnem rationem belli conferre constituit.

LXXXII. Pompejus paucis post diebus in Thessaliam pérvenit; concionatusque apud cunctum exércitum, suis agit gratias; Scipionis mílites cohortatur, «ut, parta jam victoria, praedae ac praemiorum velint esse partícipes: » receptisque ómnibus in una castra legiónibus, suum cum Scipione honorem partitur, classicumque apud eum cani, et álterum illi jubet praetorium tendi. Auctis copiis Pompeji, duobusque magnis exercítibus conjunctis, prístina omnium confirmatur opinio, et spes victoriae augetur adeo, ut, quidquid intercéderet témporis, id morari réditum in Itatiam videretur;

et, si quando quid Pompejus tardius aut consideratius fáceret, « unius esse negotium diéi, sed illum delectari imperio, et consulares praetoriosque servorum habere número, » dícerent. Jamque inter se palam de praemiis ac sacerdotiis contendebant, in annosque consulatum definiebant; alii domos bónaque eorum, qui in castris erant Cáesaris, petebant: mágnaque inter eos in consilio fuit controversia, oporteretne L. Hirri, quod is a Pompejo ad Parthos missus esset, próximis comitiis praetoriis absentis rationem haberi: quum ejus necessarii fidem implorarent Pompeji, praestaret, quod proficiscenti recepisset, ne per ejus auctoritatem deceptus videretur; réliqui, in labore pari ac período, ne unus omnes antecéderet, recusarent.

LXXXIII. Jam de sacerdotio Cáesaris Domitius, Scipio, Lentulusque Spinther, quotidianis contentionibus ad gravíssimas verborum contumelias palam descenderunt; quum Léntulus aetatis honorem ostentaret, Domitius urbanam gratiam dignitatemque jactaret, Scipio affinitate Pompeji confíderet. Postulavit etiam L. Afranium proditionis exércitus Attius Rufus apud Pompejum, quod gestum in Hispania díceret. Et L. Domitius in consilio dixit, placere sibi, bello confecto, ternas tabellas dare ad judicandum iis, qui órdinis essent senatorii, belloque una cum ipsis interfuissent; sententiasque de síngulis ferrent, qui Romae remansissent, quique intra praesidia Pompeji fuissent neque óperam in re militari praestitissent: unam fore,

tabellam, qui liberandos omni período censerent; álteram, qui cápitis damnarent; tertiam, qui pecunia multarent. Postremo omnes aut de honóribus suis, aut de praemiis pecuniae, aut de persequendis inimicitiis agebant; nec quibus ratiónibus superare possent, sed, quemádmodum uti victoria deberent, cogitabant.

LXXXIV. Re frumentaria praeparata confirmatisque milítibus, et satis longo spatio témporis a Dyrrachinis praeliis intermisso, quo satis perspectum habere mílitum animum videretur, tentandum Caesar existimavit, quidnam Pompejus propósiti aut voluntatis ad dimicandum haberet. Ítaque ex castris exércitum eduxit, aciemque instruxit, primum suis locis, paulloque a castris Pompeji longius, continéntibus vero diebus, ut progrederetur a castris suis, collibusque Pompejanis aciem subjíceret. Quae res in dies confirmatiorem ejus exércitum efficiebat. Superius tamen institutum in equítibus, quod demonstrávimus, servabat, ut, quoniam número multis pártibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos mílites ad pernicitatem, armis inter équites praeliari juberet, qui quotidiana consuetúdine usum quoque ejus géneris praeliorum percíperent. His erat rebus effectum, ut équitum mille apertioribus etiam locis VII millium Pompejanorum ímpetum, quum adesset usus, sustinere auderent, neque magnópere eorum multitúdine terrerentur. Namque etiam per eos dies praelium secundum equestre fecit, atque Ægum Allóbrogem ex

duobus, quos perfugisse ad Pompejum supra docúimus, cum quibusdam interfecit.

LXXXV. Pompejus, quia castra in colle habebat, ad ínfimas radices montis aciem instruebat; semper, ut videbatur, spectans, si iniquis locis Caesar se subjíceret. Caesar, nulla ratione ad pugnam élici posse Pompejum exístimans; hanc sibi commodíssimam belli rationem judicavit, uti castra ex eo loco moveret, semperque esset in itinéribus: haec sperans, ut, movendis castris pluribusque adeundis locis, commodiore frumentaria re uteretur; simulque, in itínere ut áliquam occasionem dimicandi nancisceretur, et insólitum ad laborem Pompeji exércitum quotidianis itinéribus defatigaret. His constitutis rebus, signo jam profectionis dato, tabernaculisque detensis, animadversum est, paullo ante, extra quotidianam consuetúdinem, longius a vallo esse aciem Pompeji progressam, ut non iniquo loco posse dimicari videretur. Tunc Caesar apud suos, quum jam esset agmen in portis, « Differendum est, inquit, iter in praesentia nobis, et de praelio cogitandum, si, ut semper depopóscimus, ánimo simus ad dimicandum parati; non fácile occasionem postea repe1riemus: » confestimque expeditas copias educit.

LXXXVI. Pompejus quoque, ut postea cógnitum est, suorum omnium hortatu statúerat praelio decertare. Namque etiam in consilio superióribus diebus díxerat, « priusquam concúrrerent acies, fore, uti exércitus Cáesaris pelleretur. Id quum essent plerique admirati,

« Scio me, inquit, pene incredíbilem rem polliceri: sed rationem consilii mei accípite, quo firmiore ánimo in praelium prodeatis. Persuasi equítibus nostris (idque mihi se facturos coufirmaverunt) ut, quum propius sit accessum, dextrum Cáesaris cornu ab látere aperto aggrederentur, ut, circumventa ab tergo acie, prius perturbatum exércitum péllerent, quam a nobis telum in hostem jaceretur. Ita sine perículo legionum, et pene sine vúlnere, bellum conficiemus. Id autem diffícile non est, quum tantum equitatu valeamus. » Simul denuntiavit, « ut essent ánimo parati in pósterum; et, quoniam fíeret dimicandi potestas, ut saepe cogitavissent, ne usu manuque reliquorum opinionem fallerent. »

LXXXVII. Hunc Labienus excepit; et, quum Cáesaris copias despíceret, Pompeji consilium summis láudibus efferret, « Noli, inquit, existimare, Pompei› hunc esse exércitum, qui Galliam Germaniamque devícerit. Ómnibus interfui praeliis, neque témere incógnitam rem pronuntio. Perexigua pars illíus exércitus súperest; magna pars deperiit, quod accídere tot praeliis fuit necesse, multos autumni pestilentia in Italia consumpsit, multi domum discesserunt, multi sunt relicti in continenti. An non exaudistis, ex iis, qui per causam valetúdinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas? Hae copiae, quas videtis, ex deléctibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectae, et plerique sunt ex coloniis Transpadanis: áttamen, quod

fuit róboris, duobus praeliis Dyrrachinis interiit.» Haec quum dixisset, juravit, «se, nisi victorem, in castra non reversurum; » reliquosque ut idem fácerent, hortatus est. Hoc laudans Pompejus idem juravit. Nec vero ex réliquis fuit quisquam, qui jurare dubitaret. Haec quum facta essent in consilio, magna spe et laetitia omnium discessum est: ac jam ánimo victoriam praecipiebant, quod de re tanta, et a tam perito imperatore, nihil frustra confirmari videbatur.

LXXXVIII. Caesar, quum Pompeji castris appropinquasset, ad hunc modum aciem ejus instructam animadvertit. Erant in sinistro cornu legiones duae, tráditae a Cáesare initio dissensionis ex senatu consulto, quarum una prima, áltera tertia appellabatur. In eo loco ipse erat Pompejus. Mediam aciem Scipio cum legiónibus Syríacis tenebat. Ciliciensis legio, conjuncta cum cohórtibus Hispanis, quas transductas ab Afranio docúimus, in dextro cornu erant collocatae. Has firmíssimas se habere Pompejus existimabat. Réliquas inter aciem mediam cornúaque interjécerat, numeroque cohortes CX expléverat. Haec erant millia XLV: evocatorum círciter duo, quae ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum convénerant; quae tota acie dispérserat. Réliquas cohortes septem castris propinquisque castellis praesidio disposúerat. Dextrum cornu ejus rivus quidam impeditis ripis muniebat: quam ob causam cunctum equitatum, sagittarios funditoresque omnes in sinistro cornu objécerat.

LXXXIX. Caesar, superius institutum servans, décimam legionem in dextro cornu, nonam in sinistro collocáverat, tametsi erat Dyrrachinis praeliis vehementer attenuata; et huic sic adjunxit octavam, ut paene unam ex duabus effíceret; atque álteram álteri praesidio esse jússerat. Cohortes in acie LXXX constitutas habebat, quae summa erat millium XXII. Cohortes duas castris praesidio relíquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Sullam, media acie C. Domitium proposúerat: ipse contra Pompejum cónstitit. Simul, his rebus animadversis, quas demonstrávimus, timens, ne a multitúdine équitum dextrum cornu circumveniretur, celériter ex tertia acie síngulas cohortes detraxit, atque ex his quartam instituit, equitatuique opposuit, et quid fíeri vellet, ostendit; monuitque, ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare. Simul tertiae aciéi totique exercitui imperavit, ne injussu suo concúrreret: se, quum id fieri vellet, vexillo signum daturum.

XC. Exércitum quum militari more ad pugnam cohortaretur, súaque in eum perpetui temporis officia praedicaret, in primis commemoravit, « téstibus se milítibus uti posse, quanto studio pacem petiisset; quae per Vatinium in colloquiis, quae per A. Clodium cum Scipione egisset; quibus modis ad Óricum cum Libone de mittendis legatis contendisset: neque se unquam abuti mílitum sánguine, neque rempúblicam altérutro exércitu privare voluisse.» Hac hábita oratione, expo-

scéntibus milítibus, et studio pugnae ardéntibus, tuba signum dedit.

XCI. Erat Crástinus evocatus in exércitu Cáesaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione décima dúxerat, vir singulari virtute. Hic, signo dato, «Sequímini me, inquit, manipulares mei qui fuistis, et vestro imperatori, quam constituistis, operam date. Unum hoc praelium súperest; quo confecto, et ille suam dignitatem, et nos nostram libertatem recuperábimus.» Simul respiciens Cáesarem, «Faciam, inquit, hodie, imperator, ut aut vivo mihi, aut mortuo gratias agas.» Haec quum dixisset, primus ex dextro cornu procucurrit, atque eum electi mílites círciter CXX voluntarii ejusdem centuriae sunt prosecuti.

XCII. Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exércitus: sed Pompejus suis praedíxerat, ut Cáesaris ímpetum excíperent, neve se loco moverent, aciemque ejus dístrahi paterentur: idque admónitu C. Triarii fecisse dicebatur, ut primus excursus visque mílitum infringeretur, aciesque distenderetur, atque in suis ordínibus dispósiti dispersos adorirentur: leviusque casura pila sperabat, in loco retentis milítibus, quam si ipsi immissis telis occurrissent: simul fore, ut, duplicato cursu, Cáesaris mílites exanimarentur, et lassitúdine conficerentur. Quod nobis quidem nulla ratione factum a Pompejo videtur, propterea quod est quaedam ánimi incitatio atque alácritas naturáliter innata ómnibus, quae studio pugnae

incénditur. Hanc non reprímere, sed augere imperatores debent; neque frustra antíquitus institutum est, ut signa úndique concínerent, clamoremque universi tóllerent: quibus rebus et hostes terreri, et suos incitari existimaverunt.

XCIII. Sed nostri mílites, dato signo, quum infestis pilis procucurrissent, atque animadvertissent, non concurri a Pompejanis; usu periti, ac superióribus pugnis exercitati, sua sponte cursum represserunt, et ad medium fere spatium constiterunt, ne consumptis víribus appropinquarent, parvoque intermisso témporis spatio, ac rursus renovato cursu, pila miserunt, celeriterque, ut erat praeceptum a Caesare, gladios strinxerunt. Neque vero Pompejani huic rei defuerunt: nam et tela missa exceperunt, et ímpetum legionum tulerunt, et órdines conservaverunt, pilisque missis, ad gladios redierunt. Eodem témpore équites ab sinistro Pompeji cornu, ut erat imperatum, universi procucurrerunt, omnisque multitudo sagittariorum se profudit: quorum ímpetum noster equitatus non tulit, sed paullum loco motus cessit: equitesque Pompejani hoc acrius instare et se turmatim explicare, aciemque nostram a látere aperto circuire coeperunt. Quod ubi Caesar animadvertit, quartae aciéi, quam institúerat sex cohortium número, signum dedit. Illi celériter procucurrerunt, infestisque signis tanta vi in Pompeji équites ímpetum fécerunt, ut eorum nemo consísteret, omnesque conversi, non solum loco excéderent, sed prótinus incitati fuga mon-

tes altíssimos péterent. Quibus submotis, omnes sagittarii funditoresque destituti, inermes, sine praesidio, interfecti sunt. Eodem ímpetu cohortes sinistrum cornu, pugnántibus etiam tum ac resisténtibus in acie Pompejanis, circumierunt, eosque a tergo sunt adorti.

XCIV. Eodem témpore tertiam aciem Caesar, quae quieta fúerat, et se ad id tempus loco tenúerat, procúrrere jussit. Ita, quum recentes atque íntegri defessis succesissent, alii autem a tergo adorirentur, sustinere Pompejani non potuerunt, atque universi terga verterunt. Neque vero Cáesarem fefellit, quin ab iis cohórtibus, quae contra equitatum in quarta acie collocatae essent initium victoriae oriretur, ut ipse in cohortandis milítibus pronuntiáverat. Ab his enim primum equitatus est pulsus: ab iisdem factae caedes sagittariorum atque funditorum: ab iisdem acies Pompejana a sinistra parte circúmita, atque initium fugae factum. Sed Pompejus, ut equitatum suum pulsum vidit, atque eam partem, cui máxime confidebat, pertérritam animadvertit, aliis diffisus acie excessit, protinusque se in castra equo cóntulit, et iis centuriónibus, quos in statione ad praetoriam portam posúerat, clare, ut mílites exaudirent, « Tuémini, inquit, castra, et deféndite diligenter, si quid durius accíderit: ego réliquas portas circumeo, et castrorum praesidia confirmo.» Haec quum dixisset, se in praetorium cóntulit, summae rei diffidens, et tamen eventum expectans.

XCV. Caesar, Pompejanis ex fuga intra vallum compulsis, nullum spatium pertérritis dare oportere áestimans, mílites cohortatus est, ut beneficio fortunae uterentur, cástraque oppugnarent: qui, etsi magno aestu fatigati, (nam ad meridiem res erat perducta), tamen, ad omnem laborem ánimo parati, imperio paruerunt. Castra a cohórtibus quae ibi praesidio erant relictae, industrie defendebantur, multo etiam acrius a Thrácibus barbarisque auxiliis. Nam qui acie refúgerant mílites, et ánimo pertérriti, et lassitúdine confecti, missis plerique armis signisque militáribus, magis de réliqua fuga, quam de castrorum defensione cogitabant. Neque vero diutius, qui in vallo constíterant, multitúdinem telorum sustinere potuerunt: sed confecti vulnéribus locum reliquerunt, protinusque omnes, dúcibus usi centuriónibus tribunisque mílitum, in altíssimos montes, qui ad castra pertinebant, confugerunt.

XCVI. In castris Pompeji videre licuit tríchilas structas, magnum argenti pondus expósitum, recéntibus caespítibus tabernácula constrata, L. etiam Léntuli et nonnullorum tabernácula protecta hédera; múltaque praeterea, quae nimiam luxuriem, et victoriae fiduciam designarent: ut fácile aestimari posset, nihil eos de eventu ejus diéi timuisse, qui non necessarias conquírerent voluptates. At hi misérrimo ac patientíssimo exercitui Cáesaris luxuriem objiciebant, cui semper omnia ad necessarium usum defuissent. Pompejus, jam quum intra vallum nostri versarentur, equum nactus, detra-

ctis insígnibus imperatoriis, decumana porta se ex castris ejecit, protinusque, equo citato, Larissam contendit. Neque ibi cónstitit, sed eadem celeritate, paucos suos ex fuga nactus, nocturno itínere non intermisso, comitatu équitum triginta ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit; saepe, ut dicebatur, querens, tantum se opinionem fefellisse, ut, a quo genere hóminum victoriam sperasset, ab eo, initio fugae facto, paene próditus videretur.

XCVII. Caesar, castris potitus, a milítibus contendit, ne, in praeda occupati, réliqui negotii gerendi facultatem dimítterent. Qua re impetrata, montem ópere circummunire instituit. Pompejani, quod is mons erat sine aqua, diffisi ei loco, relicto monte, universi jugis ejus Larissam versus se recípere coeperunt. Qua re animadversa, Caesar copias suas divisit, partemque legionum in castris Pompeji remanere jussit, partem in sua castra remisit; quatuor secum legiones duxit, commodióreque itínere Pompejanis occúrrere coepit, et progressus millia passuum sex, aciem instruxit. Qua re animadversa, Pompejani in quodam monte constiterunt: hunc montem flumen subluebat. Caesar, mílites cohortatus, etsi totíus diéi continenti labore erant confecti, noxque jam súberat, tamen munitione flumen a monte seclusit, ne noctu aquari Pompejani possent. Quo jam perfecto ópere, illi de deditione, missis legatis, ágere coeperunt. Pauci órdinis senatorii, qui se cum iis conjúnxerant, nocte fuga salutem petierunt.

XCVIII. Caesar, prima luce omnes eos, qui in monte conséderant, ex superióribus locis in planitiem descéndere, atque arma projícere jussit. Quod ubi sine recusatione fecerunt, passisque palmis, projecti ad terram, flentes ab eo salutem petierunt: consolatus consúrgere jussit, et pauca apud eos de lenitate sua locutus, quo minore essent timore, omnes conservavit; militibusque suis commendavit, ne qui eorum violarentur, neu quid sui desiderarent. Hac adhíbita diligentia, ex castris sibi legiones alias occúrrere, et eas, quas secum dúxerat, ínvicem requiéscere, atque in castra reverti jussit; eodemque die Larissam pervenit.

XCIX. In eo praelio non amplius CC mílites desideravit; sed centuriones, fortes viros, círciter XXX amisit. Interfectus est etiam fortíssime pugnans Crástinus, cujus mentionem supra fécimus, gladio in os adversum conjecto. Neque id fuit falsum, quod ille, in pugnam proficiscens, díxerat: sic enim Caesar existimabat, eo praelio excellentíssimam virtutem Crástini fuisse, optimeque eum de se méritum judicabat. Ex Pompejano exércitu círciter millia quíndecim cecidisse videbantur: sed in deditionem venerunt amplius millia XXIV: (namque etiam cohortes, quae praesidio in castellis fúerant, sese Sullae dediderunt) : multi praeterea refugerunt: sígnaque militaria ex praelio ad Cáesarem sunt relata CLXXX, et áquilae novem. L. Domitius, ex castris in montem refugiens, quum vires eum lassitúdine defecissent, ab equítibus est interfectus.

C. Crispi Sallustii

BELLUM CATILINARIUM

(1 - 13)

Omnis hómines, qui sese student praestare céteris animálibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant, véluti pécora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in ánimo et córpore sita est: ánimi imperio, córporis servitio magis útimur. Álterum nobis cum dis, álterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius esse videtur ingenii quam virium ópibus gloriam quáerere, et, quoniam vita ipsa qua frúimur brevis est, memoriam nostri quam máxime longam effícere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque frágilis est; virtus clara aetérnaque habetur. Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine córporis an virtute ánimi res militaris magis procéderet: nam et, priusquam incipias, consulto, et, ubi consulúeris, mature facto opus est; ita utrumque, per se índigens, álterum alterius auxilio veget.

II. Ígitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hóminum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses, coepere urbes atque nationes subígere, lubídinem dominandi causam belli habere, máxumam

gloriam in máxumo imperio putare; tum demum perículo atque negotiis compertum est in bello plúrimum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum ánimi virtus in pace ita uti in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cérneres: nam imperium fácile iis ártibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum móribus immutatur. Ita imperium semper ad óptumum quemque a minus bono transertur. Quae hómines arant, návigant, aedíficant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, déditi ventri atque somno, indocti incultique, vitam sícuti peregrinantes transegere, quibus, profecto contra naturam, corpus voluptati, ánima óneri fuit. Eorum ego vitam mortemque juxta áestumo, quoniam de utraque siletur. Verumenimvero is demum mihi vívere atque frui ánima videtur, qui, áliquo negotio intentus, praeclari facínoris aut artis bonae famam quaerit: sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene fácere reipúblicae; etiam bene dicere haud absurdum est: vel pace vel bello clarum fíeri licet; et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scríbere: primum, quod facta dictis sunt exae-

quanda, dehinc, quia plerique, quae delicta reprehénderis, malivolentia et invidia dicta putant. Ubi de magna virtute et gloria bonorum mémores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo ánimo áccipit; supra ea, velut ficta, pro falsis ducit. Sed ego adolescéntulus initio, sícuti plerique, studio ad rempúblicam latus sum, ibique mihi advorsa multa fuere; nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi ánimus aspernabatur ínsolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas, ambitione corrupta, tenebatur; ac me, quum ab reliquorum malis móribus dissentirem, nihilóminus honoris cupido éadem, quae céteros, fama atque invidia vexabat.

IV. Ígitur ubi ánimus ex multis miseriis atque perículís requievit, et mihi réliquam aetatem a república procul habendam decrevi. non fuit consilium secordia atque desidia bonum otium contérere, neque vero agrum colendo aut venando, servílibus officiis intentum, aetatem ágere; sed a quo incepto studio me ambitio mala detinúerat, eodem regressus, statui res gestas pópuli Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscríbere; eo magis quod mihi a spe, metu, pártibus reipúblicae, ánimus liber erat. Ígitur de Catilinae conjuratione quam veríssume pótero, paucis absolvam: nam id fácinus in primis ego memorábile exístumo scéleris atque perículi novitate. De cujus hóminis móribus pauca prius explananda sunt. quam initium narrandi faciam.

V. Lucius Catilina, nóbilí génere natus, fuit magna vi et ánimi et córporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis, grata fuere; ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuiquam credíbile est; ánimus audax, súbdolus, varius, cujúslibet rei simulator ac dissimulator, alieni áppetens, sui profusus, ardens in cupiditátibus; satis loquentiae, sapientiae parum. Vastus ánimus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem Lucii Sullae lubido máxuma inváserat reipúblicae capiundae; neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies ánimus ferox inopia rei familiaris et conscientia scélerum; quae útraque his ártibus áuxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos péssuma ac diversa inter se mala. luxuria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniam de móribus civitatis tempus admonuit, supra repétere, ac paucis instituta majorum domi militiaeque, quómodo rempúblicam habúerint, quantamque relíquerint, utque, paulatim immutata, ex pulchérruma péssuma ac flagitiosíssuma facta sit, dissérere.

VI. Urbem Romam, sícuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Ænea duce, prófugi, sédibus incertis vagabantur; cumque his Aborígines, genus hóminum agreste, sine légibus, sine imperio,

líberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, díspari génere, dissímili lingua, alius alio more viventes, incredíbile memoratu est quam fácile coalúerint. Sed postquam res eorum cívibus, móribus, agris aucta, satis próspera satisque pollens videbatur, sícuti pléraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Ígitur reges populique finítumi bello tentare; pauci ex amicis auxilio esse: nam céteri metu percussi a perículis áberant. At Romani, domi militiaeque intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hóstibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tégere; post, ubi perícula virtute propúlerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legítimum, nomen imperii regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia válidum erat, reipúblicae consultabant: hi vel aetate, vel curae similitúdine, patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipúblicae fúerat, in superbiam dominationemque convertit, immutato more, annua imperia binosque imperatores sibi fecere: eo modo mínume posse putabant per licentiam insoléscere ánimum humanum.

VII. Sed ea tempestate coepere se quisque extóllere, magisque ingenium in promptu habere. Nam régibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est: sed cívitas, incredíbile

memoratu est, adepta libertate, quantum brevi créverit: tanta cupido gloriae incésserat! Jam primum juventus simul laboris ac belli patiens erat, in castris usu militiam discebat; magisque in decoris armis et militáribus equis, quam in scortis atque conviviis, lubídinem habebant. Ígitur tálibus viris non labos insólitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domúerat. Sed gloriae máxumum certamen inter ipsos erat: sic quisque hostem ferire, murum ascéndere, cónspici, dum tale fácinus fáceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant; laudis ávidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem quibus in locis máxumas hostium copias populus Romanus parva manu fúderit, quas urbes natura munitas pugnando céperit, ni ea res longius nos ab incepto tráheret.

VIII. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas, ex lubídine magis quam ex vero, célebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sícuti ego áestumo, satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur. Ssd, quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro máxumis celebrantur; ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extóllere praeclara ingenia. At pópulo Romano nunquam ea copia fuit, quia prudentíssimus quisque

negotiosus máxume erat; ingenium nemo sine córpore exercebat; óptumus quisque fácere quam dicere, sua ab aliis benefacta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

IX. Ígitur domi militiaeque boni mores colebantur: concordia máxuma, mínuma avaritia erat; jus bonumque apud eos non légibus magis quam natura valebat; jurgia, discordias, simultates, cum hóstibus exercebant; cives cum cívibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnífici, domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his ártibus: audacia in bello, ubi pax evénerat, aequitate, seque remque públicam curabant. Quarum rerum ego máxuma documenta haec habeo: quod in bello saepius vindicatum est in eos qui contra imperium in hostem pugnáverant, quique tardius revocati praelio excésserant, quam qui signa relínquere aut pulsi loco cédere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant, et, accepta injuria, ignóscere quam pérsequi malebant.

X. Sed, ubi labore atque justitia respública crevit, reges magni bello dómiti, nationes ferae et pópuli ingentes vi subacti, Carthago, áemula imperii Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant; saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, perícula, dubias atque ásperas res fácile toleráverant, iis otium, divitiae, optandae aliis, óneri miseriaeque fuere. Ígitur primo pecuniae, deinde

imperii cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglégere, omnia venalia habere edocuit: ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in péctore, aliud in lingua promptum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex cómmodo aestumare; magisque vultum quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim créscere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, cívitas immutata, imperium ex justíssumo ac óptumo crudele intolerandumque factum.

XI. Sed primo magis ambitio quam avaritia ánimos hóminum exercebat; quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus et ignavus aeque sibi exoptant; sed ille vera via nítitur; huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit: avaritia pecuniae studium habet' quam nemo sapiens concupivit; ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat; semper infinita, insatiábilis est; neque inopia minúitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta república, ex bonis initiis malos eventus habuit, rápere omues, tráhere; domum alius, alius agros cúpere; neque modum neque modestiam victores habere; foeda crudelíaque in cívibus facínora fácere. Huc accedebat quod L. Sulla exércitum quem in Asia ductáverat, quo sibi fidum fáceret, contra morem majorum luxu-

riose nimisque liberáliter habúerat: loca amoena, voluptaria, fácile in otio feroces mílitum ánimos mollíverant; ibi primum insuevit exércitus pópuli Romani amare, potare; signa, tábulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac públice rápere; delubra deorum spoliare; sacra profánaque omnia pollúere. Ígitur hi mílites, postquam victoriam adepti sunt, nihil réliqui victis fecere: quippe secundae res sapientium ánimos fatigant; ne illi, corruptis móribus, victoriae temperarent.

XII. Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebéscere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. Ígitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rápere, consúmere; sua parvi péndere, aliena cúpere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Óperae pretium est, quum domos atque villas cognóveris, in urbium modum exaedificatas, vísere templa deorum, quae nostri majores, religiosíssumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos sua gloria decorabant, neque victis quidquam praeter injuriae licentiam eripiebant; at hi contra ignavíssumi hómines per summum scelus omnia ea sociis adímere, quae fortíssumi viri victores hóstibus relíquerant: proinde quasi injuriam fácere, id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea mémorem quae, nisi iis qui videre, némini credibilia sunt: a privatis complúribus subversos montes, maria constructa esse? Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae, quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitúdinem properabant. Vescendi causa, terra marique omnia exquírere; dormire priusquam somni cupido esset; non famem aut sitim, neque frigus, neque lassitúdinem operiri, sed ea omnia luxu antecápere. Haec juventutem, ubi familiares opes defécerant, ad facínora incendebant; ánimus imbutus malis ártibus haud fácile lubidínibus carebat; eo profusius ómnibus modis quaestui atque sumptui déditus erat.

———«»———

M. Tullii Ciceronis

DE OFFICIIS

LIBER I (1-6)

I. Quanquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae, propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, áltera exemplis; tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina conjunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercita-

tione feci, idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attúlimus adjumentum homínibus nostris, ut non modo Graecarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos et ad dicendum et ad judicandum. Quam ob rem disces tu quidem a príncipe hujus aetatis philosophorum, et disces, quamdiu voles (tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit) : sed tamen nostra legens non multum a Peripatéticis dissidentia, quoniam utrique Socrátici et Platónici vólumus esse, de rebus ipsis útere tuo judicio (nihil enim impedio) ; orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium; apte, distincte, ornate dícere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo jure quodam modo vindicare. Quam ob rem magnópere te hortor, mi Cícero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui jam illis fere aequarunt, studiose legas. Vis enim major in illis dicendi: sed hoc quoque colendum est aequábile et temperatum orationis genus. Et id quidem némini video Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in génere elaboraret, sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phaléreus in hoc número haberi potest, disputator subtilis, orator parum véhemens,

dulcis tamen, ut Theophrasti discípulum possis agnóscere. Nos autem quantum in utroque profecérimus, aliorum sit judicium: utrumque certe secuti sumus· Équidem et Platonem exístimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravíssime et copiosíssime potuisse dícere, et Demósthenem, si illa, quae a Platone didícerat, tenuisset et pronuntiare voluisset, ornate splendideque fácere potuisse. Eodemque modo de Aristótele et Isócrate júdico: quorum uterque, suo studio delectatus, contempsit álterum.

II. Sed quum statuissem scríbere ad te áliquid hoc témpore. multa posthac, ab eo ordiri volui máxime, quod et aetati tuae esset aptíssimum et auctoritati meae. Nam, quum multa sint in philosophia et utilia accurate copioseque a philósophis disputata, latíssime patere videntur ea, quae de officiis trádita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque, públicis neque privatis neque forénsibus neque doméstícis in rebus, neque, si tecum agas quid, neque, si cum áltero cóntrabas, vacare offlcio potest: in eoque et colendo sita vitae est honestas omnis et in negligendo turpitudo, Atque haec quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullis officii praeceptis tradendis philósophum se audeat dícere? Sed sunt nonnullae disciplinae, quae propósitis bonorum et malorum fínibus officium omne pervertant. Nam, qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis

cómmodis, non honestate metitur, hic, si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam cólere possit nec justitiam nec liberalitatem; fortis vero, dolorem malum summum júdicans, aut témperans voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, tamen sunt a nobis alio loco disputata. Hae disciplinae ígitur si sibi consentaneae velint esse, de officio nihil queant dícere: neque ulla officii praecepta firma, stabilia, conjuncta naturae tradi possunt, uisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui máxime honestatem propter se dicant expetendam. Ita propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli jam pridem explosa sententia est; qui tamen haberent jus suum disputandi de officio, si rerum áliquem delectum reliquissent ut ad officii inventionem áditus esset. Sequemur ígitur hoc quidem témpore et hac in quaestione potíssimum Stóicos, non ut intérpretes, sed, ut solemús, e fóntibus eorum judicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo vidébitur, hauriemus.

Placet ígitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium; quod a Panaetio praetermissum esse miror. Omnis enim, quae ratione suscípitur, de áliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

III. Omnis de officio duplex est quaestio. Unum genus est, quod pértinet ad finem bonorum: álterum, quod pósitum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit. Superioris géneris hujúsmodi exempla sunt: omníaque officia perfecta sint? numquid officium aliud alio majus sit? et quae sunt géneris ejusdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quanquam pértinent ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandum. Atque etiam alia divisio est officii. Nam et medium quoddam officium dícitur et perfectum. Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quod Graeci *catorthoma* ° : hoc autem commune *cathecon* °° vocant. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant: medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probábilis reddi possit. Triplex ígitur est, ut Panaetio videtur, consilii capiendi deliberatio. Nam, honestumne factu sit an turpe, dúbitant id, quod in deliberationem cadit: in quo considerando saepe ánimi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem aut anquirunt aut consultant, ad vitae commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint juvare et suos, conducat id necne, de quo delíberant: quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit.

° == *recte factum*
°° = *officium*

Tertium dubitandi genus est, quum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur csse útile. Quum enim utílitas ad se rápere, honestas contra revocare ad se videtur, fit, ut distrahatur in deliberando ánimus, afferatque ancípitem curam cogitandi. Hac divisione, quum praeterire áliquid máximum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt. Nec enim solum, utrum honestum an turpe sit, deliberari solet; sed etiam, duobus propósitis honestis, utrum honestius; itemque, duobus propósitis utílibus, utrum utilius. Ita, quam ille tríplicem putavit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Primum ígitur est de honesto, sed duplíciter; tum pari ratione de útili; post de comparatione eorum disserendum.

IV. Principio géneri animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur, omníaque, quae sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latíbula, ut alia géneris ejusdem. Commune autem animantium omnium est conjunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt. Sed inter hóminem et belluam hoc máxime ínterest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accómmodat, paulum ádmodum sentiens praetéritum aut futurum. Homo autem, (quod rationis est párticeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quas

antecessiones non ignorat, similitúdines cómparat rebusque praeséntibus adjungit atque annectit futuras) fácile totíus vitae cursum videt, ad eamque degendam práeparat res necessarias. Eademque natura vi rationis hóminem conciliat hómini et ad orationis et ad vitae societatem; ingeneratque in primis praecipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt; impellitque, ut hóminum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque causas studeat parare ea, quae suppéditent et ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed cónjugi, líberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat. Quae cura exsúscitat etiam ánimos et majores ad rem gerendam facit. In primisque hóminis est propria veri inquisitio atque investigatio. Ítaque, quum sumus neces sariis negotiis curisque vacui, tum avemus áliquid videre, audire, addíscere; cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam dúcimus. Ex quo intellígitur, quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hóminis aptíssimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta est appetitio quaedam principatus, ut némini parere ánimus bene informatus a natura velit, nisi praecipienti, aut docenti, aut utilitatis causa juste et legítime imperanti: ex quo magnitudo ánimi exsistit humanarumque rerum contemptio. Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc ánimal sentit quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictis

que qui modus. Ítaque eorum ipsorum, quae adspectu sentiuntur, nullum aliud ánimal pulchritúdinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitúdinem natura ratioque ab óculis ad ánimum tránsferens, multo etiam magis pulchritúdinem, constantiam, órdinem in consiliis factisque conservandum putat, cavetque, ne quid indecore effeminateve faciat; tum in ómnibus et opiniónibus et factis, ne quid libidinose aut faciat aut cógitet. Quibus ex rebus conflatur et effícitur id, quod quáerimus, honestum; quod, etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum est, quodque vere dícimus, etiamsi a nullo laudetur, natura esse laudábile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tanquam faciem honesti vides, quae, si óculis cerneretur, mirábiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae. Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium óritur ex áliqua. Aut enim in perspicientia veri sollertiaque versatur; aut in hóminum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, et rerum contractarum fide; aut in ánimi excelsi atque invicti magnitúdine ac róbore; aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, órdine et modo, in quo inest modestia et temperantia. Quae quatuor quanquam inter se colligata atque implicata sunt, tamen ex síngulis certa officiorum género nascuntur: velut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam pónimus, inest indagatio atque inventio veri, ejusque virtutis

hoc munus est proprium. Ut enim quisque máxime pérspicit, quid in re quaque veríssimum sit, quique acutíssime et celérrime potest et videre et explicare rationem, is prudentíssimus et sapientíssimus rite haberi solet. Quocirca huic quasi materia, quam tractet et in qua versetur, subjecta est véritas. Réliquis autem tribus virtútibus necessitates propósitae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur: ut et socíetas hóminum conjunctioque servetur, et ánimi excellentia magnitúdoque, quum in augendis ópibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. Ordo autem et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo génere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio. Iis enim rebus, quae tractantur in vita, modum quemdam et órdinem adhibentes honestatem et decus conservábimus.

M. Tullii Ciceronis

De Senectute

O Tite, s*i* quid ego *a*djûero cur*a*mve levasso,
Quae nunc t*e* coquit et versat in pectore fixa,
*Æ*cquid erit praemi?

Licet enim mihi vérsibus eisdem adfari te, Áttice,

quibus adfatur Flamininum

*I*lle vir haud magna cum re, sed pl*e*nu fid*é*i;

quamquam certo scio non, ut Flamininum,

S*o*llicitari t*e*, Tite sic noct*e*sque diesque;

novi enim moderationem ánimi tui et aequitatem teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intélligo. Et tamen te súspicor eisdem rebus quibus me ipsum interdum gravius commoveri, quarum consolatio et major est et in aliud tempus differenda. Nunc autem visum est mihi de senectute áliquid ad te conscríbere. Hoc enim ónere, quod mihi commune tecum est, aut jam urgentis aut certe adventantis senectutis et te et me etiam ipsum levari volo; etsi te quidem id módice ac sapienter sicut omnia et ferre et laturum esse certo scio. Sed mihi, cum de senectute vellem áliquid scríbere, tu occurrebas dignus eo mún ere, quo uterque nostrum commúniter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes abstérserit senectutis molestias, sed effécerit mollem etiam et jucundam senectutem. Nunquam ígitur digne satis laudari philosophia póterit, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit dégere. Sed de céteris et díximus multa et saepe dicemus; hunc librum ad te de senectute mísimus. Omnem autem sermonem tribúimus non Tithono, ut Aristo Cius (parum enim esset auctoritatis in fábula), sed M. Catoni seni, quo majorem auctoritatem haberet oratio; apud quem Laelium et

et Scipionem fácimus admirantes, quod is tam fácile senectutem ferat, eisque eum respondentem. Qui si eruditius vidébitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribúito lítteris Graecis, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? Jam enim ipsíus Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

Scipio. Saepenúmero admirari soleo cum hoc C. Laelio cum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel máxime, quod nunquam tibi senectutem gravem esse sénserim, quae plerisque sénibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere.

Cato. Rem haud sane diffícilem, Scipio et Laeli, admirari vidémini. Quibus enim nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, eis omnis aetas gravis est; qui autem omnia bona a se ipsi petunt, iis nihil malum potest videri, quod naturae necéssitas ádferat. Quo in génere est in primis senectus; quam ut adipiscantur omnes optant, eamdem accusant adepti; tanta est stultitiae inconstantia atque pervérsitas. Obrépere ajunt eam citius, quam putassent. Primum quis coëgit eos falsum putare? quid enim? citius adólescentiae senectus quam pueritiae adolescentia obrepit? Deinde quid minus gravis esset iis senectus, si octingentésimum annum ágerent quam si octogésimum? praetérita enim aetas, quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatio permulcere posset stultam senectutem.

Quocirca si sapientiam meam admirari soletis (quae útinam digna esset opinione vestra nostroque cognómine!), in hoc sumus sapientes, quod naturam óptimam ducem tanquam deum séquimur eique paremus; a qua non verisímile est, cum céterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum tamquan ab inerti poëta esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse áliquid extremum et tamquam in árborum bacis terraeque frúctibus maturitate tempestiva quasi vietum et caducum; quod ferendum est mólliter sapienti. Quid est enim aliud gigantum modo bellare cum diis nisi naturae repugnare?

Laelius. Atqui, Cato, gratíssimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, féceris, si, quoniam speramus, vólumus quidem certe senes fíeri, multo ante a te didicérimus, quibus facíllime ratiónibus ingravescentem aetatem ferre possimus.

Cato. Faciam vero, Laeli, praesertim si utrique vestrum, ut dicis, gratum futurum est.

Laelius. Vólumus sane, nisi molestum est, Cato, tamquam longam áliquam viam conféceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quo pervenisti, videre quale sit.

Cato. Faciam, ut pótero, Laeli. Saepe enim intérfui querelis aequalium meorum (pares autem, vétere proverbio, cum páribus facíllime congregantur), quae C. Salinator, quae Sp. Albinus, hómines consulares, nostri fere aequales, deplorare solebant, tum quod vo-

luptátibus careret, sine quibus vitam nullam putarent, tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli sóliti. Qui mihi non id videbantur accusare, quod esset accusandum. Nam si id culpa senectutis accíderet, éadem mihi usu venirent reliquisque ómnibus majóribus natu, quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela, qui se et libídinum vínculis laxatos esse non moleste ferrent nec a suis despicerentur. Sed omnium istiúsmodi querelarum in móribus est culpa, non in aetate. Moderati enim et nec diffíciles nec inhumani senes tolerábilem senectutem agunt, importúnitas autem et inhumánitas omni aetati molesta est.

Laelius. Est, ut dicis, Cato; sed fortasse díxerit quispiam, tibi propter opes et copias et dignitatem tuam tolerabiliorem senectutem videri, id autem non posse multis contíngere.

Cato. Est istud quidem, Laeli, áliquid, sed nequaquam in isto sunt omnia. Ut Themístocles fertur Seriphio cuidam in jurgio respondisse, cum ille dixisset non eum sua, sed patriae gloria splendorem adsecutum: 'Nec hércule', inquit, 'si ego Seriphius essem, nec tu si Atheniensis, clarus umquam fuisses.' Quod eodem modo de senectute dici potest. Nec enim in summa inopia levis esse senectus potest ne sapienti quidem, nec insipienti etiam in summa copia non gravis. Áptíssima omnino sunt, Scipio et Laeli, arma senectutis artes exercitationesque virtu-

tum, quae in omni aetate cultae, cum diu multumque víxeris, miríficos éfferunt fructus, non solum quia nunquam déserunt ne extremo quidem témpore aetatis (quamquam id quidem máximum est), verum etiam quia conscientia bene actae vitae multorumque bene factorum recordatio jucundíssima est. Ego Q. Máximum, eum qui Tarentum recepit, senem adolescens ita dilexi, ut aequalem; erat enim in illo viro comitate condita grávitas, nec senectus mores mutáverat; quamquam eum cólere coepi non ádmodum grandem natu, sed tamen jam aetate provectum. Anno enim post consul primum fúerat, quam ego natus sum, cumque eo quartum cónsule adolescéntulus miles ad Capuam profectus sum quintoque anno post ad Tarentum. Quaestor deinde quadriennio post factus sum; quem magistratum gessi consúlibns Tuditano et Cethego, cum quidem ille ádmodum senex suasor legis Cinciae de donis et munéribus fuit. Hic et bella gerebat ut adolescens, cum plane grandis esset, et Hanníbalem juveníliter exsultantem patientia sua molliebat; de quo praeclare familiaris noster Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non enim rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit! cum quidem me audiente Salinatori, qui amisso oppido fúgerat in arcem, glorianti atque ita dicenti:

'Mea ópera, Q. Fabi, Tarentum recepisti' : 'Certe', inquit ridens, 'nam nisi tu amisisses, nunquam recepissem.' Nec vero in armis praestantior quam in toga; qui consul íterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis, quoad potuit, réstitit agrum Picentem et Gállicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti; augurque cum esset, dícere ausus est óptimis auspiciis ea geri, quae pro rei públicae salute gererentur; quae contra rem públicam ferrentur, contra auspicia ferri. Multa in eo viro praeclara cognovi; sed nihil admirabilius, quam quo modo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in mánibus laudatio, quam cum légimus, quem philósophum non contémnimus? Nec vero ille in luce modo atque in óculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Qui sermo! quae praecepta! quanta notitia antiquitatis, scientia juris augurii! Multae etiam, ut in hómine Romano, lítterae; omnia memoria tenebat non doméstica solum, sed etiam externa bella. Cujus sermone ita tum cúpide fruebar, quasi jam divinarem, id quod evenit, illo extincto fore, unde díscerem, néminem. Quorsum ígitur haec tam multa de Máximo? Quia profecto videtis nefas esse dictu míseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones aut Máximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quiete et pure atque eleganter actae aetatis plácida ac lenis

senectus, qualem accépimus Platonis, qui uno et octogésimo anno scribens est mortuus; qualem Isócratis, qui eum librum, qui Panathenáicus inscríbítur, quarto et nonagésimo anno scripsisse se dicit vixitque quinquennium postea; cujus magister Leontinus Gorgias centum et septem complevit annos neque umquam in suo studio atque ópere cessavit. Qui, cum ex eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita: 'Nihil habeo', inquit, 'quod accusem senectutem.' Praeclarum responsum et docto hómine dignum. Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem cónferunt; quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius:

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu quiescit.

Equi fortis et victoris senectuti cómparat suam. Quem quidem próbe meminisse potestis; anno enim undevicésimo post ejus mortem hi cónsules, T. Flamininus et M'. Acilius, facti sunt, ille autem Caepione et Philippo iterum consúlibus mortuus est, cum ego quinque et sexaginta annos natus legem Voconiam magna voce et bonis latéribus suasi. Sed annos septuaginta natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quae máxima putantur, ónera: paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur.

Étenim, cum complector ánimo, quatuor reperio causas, cur senectus mísera videatur: unam, quod ávocet a rebus gerendis; álteram, quod corpus faciat infir-

mius; tertiam, quod privet fere ómnibus voluptátibus quartam, quod haud procul absit a morte. Earum si placet, causarum quanta quamque sit justa una quaeque, videamus.

A rebus gerendis senectus ábstrahit.— Quibus? an iis, quae juventute geruntur et víribus? Nullaene ígitur res sunt seniles, quae vel infirmis corpóribus, ánimo tamen administrentur? nihil ergo agebat Q. Máximus; nihil L. Paulus, pater tuus, socer óptimi viri, filii mei? céteri senes: Fabricii, Curii, Coruncanii, cum rem públicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset; tamen is, cum sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum, non dubitavit dícere illa, quae vérsibus persecutus est Ennius:

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Ántehac, dementes sese flexere viái?

cetéraque gravíssime; notum enim vobis carmen est; et tamen ipsíus Appii extat oratio. Atque haec ille egit séptimo décimo anno post álterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfuissent censorque ante superiorem consulatum fuisset; ex quo intellígitur Pyrrhi bello grandem sane fuisse; et tamen sic a pátribus accépimus. Nihil ígitur áfferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt, ut si qui gubernatorem in navigando nihil ágere dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent,

alii sentinam exhauriant, ille autem clavum tenens quietus sedeat in puppi. Non facit ea, quae júvenes, at multo majora et meliora facit. Non víribus aut velocitate aut celeritate córporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia; quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Nisi forte ego vobis, qui et miles et tribunus et legatus et consul versatus sum in vario género bellorum, cessare nunc videor, cum bella non gero; at senatui, quae sint gerenda, praescribo, et quo modo: Carthágini, male jam diu cogitanti bellum multo ante denuntio; de qua vereri non ante désinam, quam illam excisam esse cognóvero. Quam palmam útinam dii immortales, Scipio, tibi reservent, ut avi reliquias persequare! cujus a morte tertius hic et trigésimus annus est, sed memoriam illíus viri omnes excipient anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est; novem annis post meum consulatum, cum consul íterum me cónsule creatus esset. Num ígitur, si ad centésimum annum vixisset, senectutis eum suae poeniteret? nec enim excursione nec saltu nec éminus hastis aut cóminus gladiis uteretur, sed consilio, ratione, sententia. Quae nisi essent in sénibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplíssimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si légere aut audire voletis externa, máximas res públicas ab adolescéntibus labefactatas, a sénibus sustentatas et restitutas reperietis.

Cedo, quî vestram rem públicam tantam amisistis tam cito?

Sic enim percontantur ut est in Naevii poëtae ludo; respondentur et alia et hoc in primis:

Proveniebant oratores novi, stulti adolescéntuli.

Teméritas est vidélicet florentis aetatis, prudentia senescentis.

—At memoria minúitur.—Credo, nisi eam exerceas, aut etiam si sis natura tardior. Themístocles omnium civium percéperat nómina; num ígitur censetis eum, cum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysímachum salutare sólitum? Équidem non modo eos novi, qui sunt, sed eorum patres etiam et avos, nec sepulcra legens vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam; his enim ipsis legendis in memoriam redeo mortuorum. Nec vero quemquam senem audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset; omnia, quae curant, meminerunt: vadimonia constituta, quis sibi, cui ipsi debeant. Quid jurisconsulti ? quid pontífices ? quidáugures? quid philósophi senes ? quam multa meminerunt! Manent ingenia sénibus, modo permaneat studium et industria, neque ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sóphocles ad summam senectutem tragoedias fecit; quod propter studium cum rem neglígere familiarem videretur, a filiis in judicium vocatus est, ut, quemádmodum nostro more male rem geréntibus pátribus bonis interdic

solet, sic illum quasi desipientem a re familiari removerent júdices. Tum senex dícitur eam fábulam, quam in mánibus habebat et próxime scrípserat, Óedipum Colonéum, recitasse judícibus quaesísseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato sententiis júdicum est liberatus. Num ígitur hunc, num Homerum, Hesíodum, Simónidem, Stesíchorum; num, quos ante dixi, Isócraten, Gorgian; num philosophorum príncipes, Pythágoram, Demócritum, num Platonem num Xenócraten, num pŏstea Zenonem, Cleanthem aut eum, quem vos etiam vidístis Romae, Diógenem Stóicum, coëgit in suis studiis obmutéscere senectus? an in ómnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit? Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rústicos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus abséntibus nunquam fere ulla in agro majora ópera fiunt: non serendis, non percipiendis, non condendis frúctibus. Quamquam in aliis minus hoc mirum est; nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vívere; sed idem in eis elaborant, quae sciunt nihil ad se omnino pertinere; 'Serit árbores, quae álteri sáeculo prosint', ut ait Statius noster in Synephebis. Nec vero dúbitat agrícola, quamvis sit senex, quaerenti, cui serat, respondere: 'Diis immortálibus, qui me non accípere modo haec a majóribus voluerunt, sed etiam pósteris pródere.' Et melius Caecilius de sene álteri sáeculo prospiciente quam illud idem:

Édepol, senectus, si nil quidquam aliud viti
Adportes tecum, cum ádvenis, unum id sat est,
Quod diu vivendo multa, quae non volt, videt.

Et multa fortasse, quae volt, atque in ea, quae non volt, saepe etiam adolescentia incurrit. Illud vero idem Caecilius vitiosius:

Tum équidem in senecta hoc députo misérrimum,
Sentire ea aetate ipsum esse odiosum álteri.

Jucundum potius quam adiosum. Ut enim adolescéntibus bona índole práeditis sapientes senes delectantur leviorque fit senectus eorum, qui a juventute coluntur et diliguntur, sic adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur; nec minus intélligo me vobis quam mihi vos esse jucundos. Sed videtis, ut senectus non modo lánguida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens áliquid et moliens, tale scílicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. Quid? qui etiam addiscunt áliquid? ut et Solonem vérsibus gloriantem videmus, qui se cotidie áliquid addiscentem dicit senem fíeri; et ego feci, qui lítteras Graecas senex dídici; quas quidem sic ávide arripui quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod cum fecisse Sócratem in fídibus audirem, vellem équidem etiam illud (discebant enim fídibus antiqui), sed in lítteris certe elaboravi.

— Nec nunc quidem vires desídero adolescentis (is enim erat locus alter de vitiis senectutis), non plus, quam adolescens tauri aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti, et, quidquid agas, ágere pro víribus. Quae enim vox potest esse contemptior quam Milonis Crotoniatae? qui cum jam senex esset athletasque se exercentes in currículo videret, aspexisse lacertos suos dícitur illacrimansque dixisse: 'At hi quidem mortui jam sunt.' Non vero tam isti quam tu ipse, nugator! neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex latéribus et lacertis tuis. Nihil Sex. Aelius tale, nihil multis annis ante Ti. Coruncanius, nihil modo P. Crassus, a quibus jura cívibus praescribebantur; quorum usque ad extremum spíritum est provecta prudentia. Orator metuo ne languescat senectute; est enim munus ejus non ingenii solum, sed láterum etiam et virium. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam nescio quo pacto in senectute, quod équidem adhuc non amisi, et videtis annos; sed tamen est decorus senis sermo quietus et remissus, facitque per se ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio. Quam si ipse éxsequi nequeas, possis tamen Scipioni práecipere et Laelio. Quid enim est jucundius senectute stipata studiis juventutis? An ne illas quidem vires senectuti relinquemus, ut adolescentes doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem ópere quid potest esse praeclarius? Mihi vero et Cn. et P. Scipiones et avi tui duo, L. Aemilius et P. Afri-

canus, comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur, nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenúerint vires atque defécerint. Etsi ipsa ista defectio virium adolescentiae vitiis effícitur saepius quam senectutis; libidinosa enim et intémperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens habuit, cum ádmodum senex esset, negat se unquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam, quam adolescentia fuisset. Ego L. Metellum mémini puer, qui cum quadriennio post álterum consulatum póntifex máximus factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio praefuit, ita bonis esse víribus extremo témpore aetatis, ut adólescentiam non requíreret. Nihil necesse est mihi de me ipso dícere; quamquam est id quidem senile aetatique nostrae concéditur. Videtisne, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtútibus suis práedicet? Tertiam jam enim aetatem hóminum videbat, nec erat ei verendum, ne vera práedicans de se nimis videretur aut ínsolens aut loquax. Étenim, ut ait Homerus, 'ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio', quam ad suavitatem nullis egebat córporis víribus. Et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Ajacis símiles habeat decem, sed ut Néstoris; quod si sibi accíderit, non dúbitat, quin brevi sit Troja peritura. Sed redeo ad me. Quartum ago annum et octogésimum; vellem équidem idem possem gloriari, quod Cyrus, sed tamen

hoc queo dícere, non me quidem iis esse víribus, quibus aut miles bello Púnico aut quaestor eodem bello aut consul in Hispania fúerim aut quadriennio post, cum tribunus militaris depugnavi apud Thermópylas M'. Glabrione cónsule, sed tamen, ut vos videtis, non plane me enervavit, non adflixit senectus, non curia vires meas desíderat, non rostra, non amici, non clientes, non hóspites Nec enim unquam sum adsensus véteri illi laudatoque proverbio, quod monet 'mature fíeri senem, si diu velis senex esse.' Ego vero me minus diu senem esse mallem quam esse senem, ante quam essem. Ítaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fúerim occupatus. At minus habeo virium quam vestrum utervis. Ne vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis; num idcirco est ille praestantior? Moderatio modo virium adsit, et tantum, quantum potest quisque, nitatur; ne ille non magno desiderio tenébitur virium. Olympiae per stadium ingressus esse Milo dícitur, cum húmeris sustineret bovem. Utrum ígitur has córporis an Pythagorae tibi malis vires ingenii dari? Dénique isto bono utare, dum adsit, cum absit, ne requiras, nisi forte adolescentes pueritiam, páululum aetate progressi adolescentiam debent requírere. Cursus est certus aetatis et una via naturae, éaque simplex, súaque cuique parti aetatis tempestívitas est data, ut et infírmitas puerorum et ferócitas júvenum et grávitas jam constantis aetatis et sene-

ctutis matúritas naturale quiddam habeat, quod suo témpore péreipi debeat. Audire te árbitror, Scipio, hospes tuus avitus Masinissa quae faciat hodie nonaginta natus annos; cum ingressus iter pédibus sit, in equum ómnino non ascéndere, cum autem equo, ex equo non descéndere, nullo imbri, nullo frígore adduci, ut cápite operto sit, summam esse in eo siccitatem córporis, ítaque omnia éxsequi regis officia et múnera. Potest ígitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare áliquid prístini róboris.

Non sunt in senectute vires. Ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et légibus et institutis vacat aetas nostra munéribus iis, quae non possunt sine víribus sustineri. Ítaque non modo, quod non póssumus sed ne quantum póssumus quidem cógimur. At multi ita sunt imbecilli senes, ut nullum officii aut omnino vitae munus éxsequi possint. At id quidem non proprium senectutis vitium est, sed commune valetúdinis. Quam fuit inbecillus P. Africani filius, is qui te adoptavit, quam tenui aut nulla potius valetúdine! Quod ni ita fuisset, álterum illud exstitisset lumen civitatis; ad paternam enim magnitúdinem ánimi doctrina uberior accésserat. Quid mirum ígitur in sénibus, si infirmi sint aliquando, cum id ne adolescentes quidem effúgere possint? Resistendum, Laeli et Scipio, senectuti est, ejusque vitia diligentia compensanda sunt; pugnandum tamquam contra morborum vim sic contra senectutem, habenda ratio valetúdinis, utendum exerci

tatiónibus módicis, tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero córpori solum subveniendum est, sed menti atque ánimo multo magis, nam haec quoque, nisi tamquam lúmini oleum instilles, extinguuntur senectute. Et córpora quidem exercitationum defatigatione ingravescunt ánimi autem exercendo levantur. Nam quos ait Caecilius 'cómicos stultos senes', hos signíficat crédulos, obliviosos, dissolutos, quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae senectutis. Ut petulantia, ut libido magis est adolescentium quam senum. nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum, sic ista senilis stultitia, quae deliratio appellari solet, senum levium est, non omnium. Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et caecus et senex; intentum enim ánimum tamquam arcum habebat nec languescens succumbebat senectuti; tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos, metuebant servi, verebantur líberi, carum omnes habebant; vigebat in illa domo patrius mos et disciplina. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum rétinet, si némini mancipata est, si usque ad últimum spíritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo est senile áliquid. sic senem, in quo est áliquid adolescentis, probo; quod qui séquitur, córpore senex esse póterit, ánimo nunquam erit. Séptimus mihi liber Oríginum est in mánibus, omnia antiquitatis

monumenta cólligo, causarum illustrium, quascumque defendi, nunc cum máxime conficio orationes, jus augurium, pontificium, civile tracto, multum etiam Graecis líttteris utor Pythagoreorumque more exercendae memoriae gratia, quid quoque die díxerim, audíerim, égerim, commémoro vésperi. Haec sunt exercitationes ingenii, haec currícula mentis; in his desudans atque elaborans córporis vires non magnópere desídero. Adsum amicis, venio in senatum frequens ultroque ádfero res multum et diu cogitatas easque tueor ánimi, non córporis víribus. Quas si éxsequi nequirem, tamen me léctulus meus oblectaret ea ipsa cogitantem, quae jam ágere non possem; sed ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intellígitur quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit nec súbito frángitur, sed diuturnitate exstínguitur.

— Séquitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptátibus. O praeclarum munus aetatis, síquidem id aufert a nobis, quod est in adolescentia vitiosíssimum! Accípite enim, óptimi adolescentes, véterem orationem Archytae Tarentini, magni in primis et praeclari viri, quae mihi trádita est, cum essem adolescens Tarenti cum Q. Máximo. Nullam capitaliorem pestem quam voluptatem córporis homínibus dicebat a natura datam, cujus voluptatis ávidae libídines témere et effrenate ad potiendum incitarentur. Hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum

eversiones, hinc cum hóstibus clandestina colloquia nasci, nullum dénique scelus, nullum malum fácinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impélleret; stupra vero et adulteria et omne tale flagitium nullis excitari aliis illécebris nisi voluptatis; cumque hómini sive natura sive quis deus nihil mente praestabilius dedisset, huic divino múneri ac dono nihil tam esse inimicum quam voluptatem; nec enim libídine dominante temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consístere. Quod quo magis intélligi posset, fíngere ánimo jubebat tanta incitatum áliquem voluptate córporis, quanta pércipi posset máxima; némini censebat fore dubium, quin tam diu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione cónsequi posset. Quocirca nihil esse tam detestábile tamque pestíferum quam voluptatem, síquidem ea, cum major esset atque longinquior, omne ánimi lumen extíngueret. Haec cum C. Pontio Samnite, patre ejus, a quo Caudino proelio Sp. Postumius, T. Veturius cónsules superati sunt, locutum Archytam Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia pópuli Romani permánserat, se a majóribus natu accepisse dicebat, cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis, quem Tarentum venisse L. Camillo, Ap. Claudio consúlibus reperio. Quorsus hoc? Ut intelligeretis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam esse senectuti gratiam, quae effíceret ut id non liberet,

quod non oporteret. Ímpedit enim consilium voluptas; rationi inimica est; mentis, ut ita dicam, praestringit óculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus feci, ut fortíssimi viri T. Flaminini fratrem, L. Flamininum, e senatu ejícerem septem annis post quam consul fuisset; sed notandam putavi libídinem. Ille enim, cum esset consul in Gallia, exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret áliquem eorum, qui in vínculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre suo censore, qui próximus ante me fúerat, elapsus est; mihi vero et Flacco néutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam pérdita libido, quae cum probro privato conjúngeret imperii dédecus. Saepe audivi ex majóribus natu, qui se porro púeros a sénibus anudisse dicebant mirari sólitum C. Fabricium, quod, cum apud regem Pyrrhum legatus esset, audisset a Théssalo Cinea esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur, eumque dícere omnia, quae facerémus, ad voluptatem esse referenda. Quod ex eo audientes M'. Curium et Ti. Coruncanium optare sólitos, ut id Samnítibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cum se voluptátibus dedissent. Víxerat M'. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum cónsulem se pro re pública quarto consulatu devóverat; norat eundem Fabricius, norat Coruncanius; qui cum ex sua vita, tum ex ejus, quem dico, Decii, facto judicabant esse profecto áliquid natura pulchrum atque praeclarum, quod sua sponte

peteretur, quodque spreta et comtempta voluptate óptimus quisque sequeretur. Quorsus ígitur tam multa de voluptate? Quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnópere desíderat. Caret épulis extructisque mensis et frequéntibus póculis, caret ergo etiam vinolentia et cruditate et insomniis. Sed si áliquid dandum est voluptati, quoniam ejus blanditiis non fácile obsístimus (divine enim Plato 'escam malorum' appellat voluptatem, quod ea vidélicet hómines capiantur, ut hamo pisces', quamquam immoderatis épulis caret senectus, módicis tamen conviviis delectari potest. C. Duilium, M. filium, qui Poenos classe primus devícerat, redeuntem a senatu senem saepe videbam puer; delectabatur crebro funali et tibícine, quae sibi nullo exemplo privatus súmpserat; tantum licentiae dabat gloria. Sed quid ego alios? ad me ipsum jam revertar. Primun habui semper sodales. Sodalitates autem me quaestore constitutae sunt sacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epulabar ígitur cum sodálibus omnino módice, sed erat quidam fervor aetatis; qua progrediente omnia fiunt in dies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptátibus córporis magis quam coetu amicorum et sermónibus metiebar. Bene enim majores accubitionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominaverunt; melius quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem, tum concoenationem vocant, ut, quod in

eo génere mínimum est, id máxime probare videautur. Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum aequálibus solum, qui pauci ádmodum restant, sed cum vestra etiam aetate atque vobiscum, habeoque senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sústulit. Quod si quem etiam ista delectant (ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cujus est fortasse quidam naturalis modus), non intélligo ne in istis quidem ipsis voluptátibus carere sensu senectutem. Me vero et magisteria delectant a majóribus instituta et is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in póculo, et pócula, sicut in Symposio Xenophontis est, minuta atque rorantia et refrigeratio aestate et vicissim aut sol aut ignis hibernus; quae quidem etiam in Sabinis pérsequi soleo conviviumque vicinorum cotidie compleo, quod ad multam noctem, quam máxime póssumus, vario sermone prodúcimus. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in sénibus. Credo, sed ne desideratio quidem; nihil autem est molestum, quod non desíderes. Bene Sóphocles, cum ex eo quidam jam adfecto aetate quáereret, utereturne rebus veneriis: 'Dii meliora!' inquit; 'libenter vero istinc sicut ab dómino agresti ac furioso profugi.' Cúpidis enim rerum talium odiosum fortasse et molestum est carere, satiatis vero et expletis jucundius est carere quam frui. Quamquam non caret is, qui non desíderat; ergo hoc non desiderare dico esse jucun-

dius. Quod si istis ipsis voluptátibus bona aetas frúitur libentius, primum párvulis frúitur rebus, ut díximus, deinde iis, quibus senectus, etiamsi non abunde potitur, non omnino caret. Ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam, qui in última, sic adolescentia voluptates propter intuens magis fortasse laetatur, sed delectatur etiam senectus procul eas spectans tantum, quantum sat est. At illa quanti sunt, ánimum, tamquam eméritis stipendiis libídinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse secumque, ut dícitur, vívere! Si vero habet áliquod tamquam pábulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute jucundius. Mori videbamus in studio dimetiendi paene coeli atque terrae C. Galum, familiarem patris tui, Scipio. Quoties illum lux noctu áliquid descríbere ingressum, quoties nox oppressit, cum mane coepisset! quam delectabat eum defectiones solis et lunae multo ante nobis praedícere! Quid in levióribus studiis, sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Púnico Naevius! quam Truculento Plautus, quam Pséudolo! Vidi etiam senem Livium; qui cum sex annis ante quam ego natus sum, fábulam docuisset Centone Tuditanoque cónsulibus, usque ad adolescentiam meam processit aetate. Quid de P. Licinii Crassi et pontificii et civilis juris studio loquar aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus póntifex máximus factus est? Atque eos omnes, quos commemoravi,

his studiis flagrantes senes vídimus; M. vero Cethegum, quem recte 'Suadae medullam' dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus etiam senem! Quae sunt ígitur epularum aut ludorum aut scortorum voluptates cum his voluptátibus comparandae? Atque haec quidem studia doctrinae; quae quidem prudénttbus et bene institutis páriter cum aetate crescunt, ut honestum illud Solonis sit, quod ait versículo quodam, ut ante dixi, senéscere se multa in dies addiscentem, qua voluptate ánimi nulla certe potest esse major.

Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibíliter delector; quae nec ulla impediuntur senectute et mihi ad sapientis vitam próxime videntur accédere. Habent enim rationem cum terra, quae numquam recusat imperium nec unquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fóenore. Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsíus terrae vis ac natura delectat. Quae cum gremio mollito ac subacto sparsum semen excepit, primum id occaecatum cóhibet, ex quo occatio, quae hoc éfficit, nominata est, deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit et élicit herbescentem ex eo viriditatem, quae nixa fibris stirpium sensim adolescit culmoque erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens inclúditur; ex quibus cum emersit, fundit frugem spici órdine structam et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. Quid ego vitium

ortus, satus, incrementa commémorem? Satiari delectatione non possum, ut meae senectutis requiem oblectamentumque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quae generantur e terra; quae ex fici tántulo grano aut ex ácini vinaceo aut ex ceterarum frugum aut stirpium minutíssimis semínibus tantos truncos ramosque procreet. Malléoli, plantae, sarmenta, viviradices, propágines nonne efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem, quae natura caduca est et, nisi fulta est, fertur ad terram, éadem, ut se érigat, clavículis suis quasi mánibus, quidquid est nacta, compléctitur; quam serpentem multíplici lapsu et errático ferro ámputans coërcet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia fundatur. Ítaque ineunte vere in iis, quae relicta sunt, existit tamquam ad artículos sarmentorum ea, quae gemma dícitur, a qua oriens uva se ostendit, quae et succo terrae et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit vestítaque pámpinis nec módico tepore caret et nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse cum fructu laetius, tum aspectu pulchrius? Cujus quidem non utílitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura et natura ipsa delectat: adminiculorum órdines, cápitum jugatio, religatio et propagatio vitium, sarmentorum ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio. Quid ego irrigationes, quid fossiones agri repastinationesque próferam, quibus fit multo terra

fecundior? quid de utilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus rústicis scripsi; de qua doctus Hesíodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scríberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante sáeculis fuit, Laërtam lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum et eum stercorantem facit. Nec vero segétibus solum et pratis et vineis et arbustis res rústicae laetae sunt, sed hortis etiam et pomariis, tum pécudum pastu, apium examínibus, florum omnium varietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones, quibus nihil invenit agri cultura sollertius. Possum pérsequi permulta oblectamenta rerum rusticarum, sed haec ipsa, quae dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscetis autem; nam et studio rusticarum rerum provectus sum, et senectus est natura loquacior; ne ab ómnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M'. Curius, cum de Samnítibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis. Cujus quidem ego villam contemplans (abest enim non longe a me) admirari satis non possum vel hóminis ipsíus continentiam vel témporum disciplinam. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt; non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed eis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus ánimus effícere non jucundam senectutem? Sed venio ad agrícolas, ne a me ipso recedam. In agris erant tum senatores,

id est senes, síquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum est eum dictatorem esse factum; cujus dictatoris jussu magister équitum C. Servilins Ahala Sp. Maelium regnum adpetentem occupatum interemit. A villa in senatum arcessebatur et Curius et céteri senes, ex quo, qui eos arcessebant, viatores nominati sunt. Num ígitur horum senectus miserábilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio an nulla beatior possit esse, neque solum officio, quod hóminum géneri universo cultura agrorum est salutaris, sed et delectatione, de qua dixi, et saturitate copiaque rerum omnium, quae ad victum hóminum, ad cultum etiam deorum pértinent; ut, quoniam haec quidam desíderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique dómini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, víllaque tota lòcuples est, abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Jam hortum ipsi agrícolae succidiam álteram appellant. Conditiora facit haec supervacaneis etiam óperis aucupium atque venatio. Quid de pratorum viriditate aut árborum ordínibus aut vinearum olivetorumve specie plura dicam? Brevi praecidam: agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius nec specie ornatius; ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque adlectat senectus. Ubi enim potest illa aetas aut caléscere, vel apricatione melius vel igni aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? Sibi habeant ígitur arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam et pilam, sibi nata-

tiones atque cursus; nobis sénibus ex lusiónibus multis talos relinquant et tésseras, id ipsum utrum lubebit, quoniam sine iis beata esse senectus potest. Multas ad res perútiles Xenophontis libri sunt; quos légite, quaeso, studiose, ut fácitis. Quam copiose ab eo agri cultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconómicus inscríbitur! Atque ut intelligatis nihil ei tam regale videri quam studium agri colendi, Sócrates in eo libro lóquitur cum Critobulo: Cyrum minorem, Persarum regem, praestantem ingenio atque imperii gloria, cum Lysander Lacedaemonius, vir summae virtutis, venisset ad eum Sardis eique dona a sociis adtulisset, et céteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse et ei quendam conseptum agrum diligenter cónsitum ostendisse. Cum autem admiraretur Lysander et proceritates árborum et directos in quincuncem órdines et humum subactam atque puram et suavitatem odorum, qui adflarentur ex flóribus, tum eum dixisse mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta; et Cyrum respondisse: 'Atqui ego ista sum omnia dimensus; mei sunt órdines, mea descriptio; multae etiam istarum árborum mea manu sunt satae.' Tum Lysandrum, intuentem púrpuram ejus et nitorem córporis ornatumque Pérsicum multo auro multisque gemmis, dixisse: 'Rite vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta

est.' Hac ígitur fortuna frui licet sénibus; nec aetas ímpedit, quóminus et ceterarum rerum et in primis agri colendi studia teneamus usque ad últimum tempus senectutis. M. quidem Valerium Corvinum accépimus ad centésimum annum perduxisse, cum esset acta jam aetate in agris eosque cóleret; cujus inter primum et sextum consulatum sex et quadraginta anni interfuerunt. Ita, quantum spatium aetatis majores ad senectutis initium esse vóluerunt, tantus illi cursus honorum fuit; atque hujus extrema aetas hoc beatior quam media, quod auctoritatis habebat plus, laboris minus; apex est autem senectutis auctóritas. Quanta fuit in L. Caecilio Metello, quanta in A. Atilio Calatino! in quem illud elogium: 'Hunc unum plúrimae consentiunt gentes pópuli primarium fuisse virum.' Notum est carmen incisum in sepulcro. Jure ígitur gravis, cujus de láudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum nuper P. Crassum, pontíficem máximum, quem postea M. Lépidum, eodem sacerdotio práeditum, vídimus! Quid de Paulo aut Africano loquar aut, ut jam ante, de Máximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctóritas. Habet senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit quam omnes adolescentiae voluptates. Sed in omni oratione mementote eam me senectutem laudare, quae fundamentis adolescentiae constituta sit. Ex quo effícitur, id quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi, míse-

ram esse senectutem, quae se oratione deféndere t. Non cani nec rugae repente auctoritatem arrípere possunt, sed honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos. Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia: salutari, ádpeti, decedi, adsurgi, deduci, reduci, cónsuli; quae et apud nos et in aliis civitátibus, ut quaeque óptime morata est, ita diligentíssime observantur. Lysandrum Lacedaemonium, cujus modo feci mentionem, dícere ajunt sólitum Lacedáemonem esse honestíssimum domicilium senectutis; nusquam enim tantum tribúitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriae próditum est, cum Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu venisset, magno consessu locum nusquam ei datum a suis cívibus; cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui legati cum essent, certo in loco consédera nt, consurrexisse omnes illi dicuntur et senem sessum recepisse. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset múltiplex datus, dixisse ex iis quendam, Athenienses scire, quae recta essent, sed fácere nolle. Multa in vestro collegio praeclara, sed hoc, de quo ágimus, in primis, quod, ut quisque aetate antecedit, ita sententiae principatum tenet, neque solum honore antecedéntibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, majores natu áugures anteponuntur. Quae sunt ígitur voluptates córporis cum auctoritatis praemiis comparandae? quibus qui spléndide usi sunt, ii mihi videntur fábulam aetatis peregisse nec tamquam in-

exercitati histriones in extremo actu corruisse.

—At sunt morosi et anxii et iracundi et diffíciles senes.—Si quáerimus, etiam avari; sed haec morum vitia sunt, non senectutis. Ac morósitas tamen et ea vitia, quae dixi, habent áliquid excusationis non illíus quidem justae, sed quae probari posse videatur. Contemni se putant, déspici, illudi; praeterea in frágili córpore odiosa omnis offensio est. Quae tamen omnia dulciora fiunt et móribus bonis et ártibus, idque cum in vita, tum in scena intélligi potest ex iis frátribus, qui in Adelphis sunt. Quanta in áltero díritas, in áltero cómitas! Sic se res habet; ut enim non omne vinum, sic non omnis natura vetustate coacescit. Severitatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, módicam, acerbitatem nullo modo. Avaritia vero senilis quid sibi velit, non intélligo; potest enim quidquam esse absurdius quam, quo viae minus restet, eo plus viático quáerere?

—Quarta restat causa, quae máxime ángere atque sollícitam habere nostram aetatem videtur: appropinquatio mortis, quae certe a senectute non potest esse longe. O míserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non víderit! quae aut plane negligenda est, si omnino extinguit ánimum, aut etiam optanda, si áliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. Quid ígitur timeam, si aut non miser post mortem aut beatus etiam futurus sum? Quamquam quis est tam

stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vésperum esse victurum? Quin etiam aetas illa multo plures quam nostra casus mortis habet; facilius in morbos íncidunt adolescentes, gravius aegrotant, tristius curantur. Ítaque pauci veniunt ad senectutem; quod ni ita accíderet, melius et prudentius viveretur. Mens enim et ratio et consilium in sénibus est; qui si nulli fuissent, nullae omnino civitates fuissent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod est istud crimen senectutis, cum id ei videatis cum adolescentia esse commune? Sensi ego in óptimo filio, tu in exspectatis ad amplíssimam dignitatem frátribus, Scipio, mortem omni aetati esse communem.—At sperat adolescens diu se victurum, quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius quam incerta pro certis habere, falsa pro veris?—At senex ne quod speret quidem habet. At est eo meliore conditione quam adolescens, quod id, quod ille sperat, hic consecutus est; ille vult diu vívere, hic diu vixit. Quamquam, o dii boni! quid est in hóminis natura diu? Da enim summum tempus, exspectemus Tartessiorum regis aetatem (fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gádibus, qui octoginta regnavit annos, centum viginti vixit) — sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est áliquid extremum. Cum enim id ádvenit, tum illud, quod praeteriit, effluxit; tantum rémanet, quod virtute et recte factis consecutus sis; horae quidem cedunt et

dies et menses et anni, nec praetéritum tempus unquam revértitur, nec quid sequatur, sciri potest; quod cuique témporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fábula est, modo, in quocumque fúerit actu, probetur, neque sapienti usque ad 'Pláudite' veniendum est. Breve enim tempus aetatis satis longum est ad bene honesteque vivendum; sin procésserit longius, non magis dolendum est, quam agrícolae dolent, praetérita verni témporis suavitate, aestatem autumnumque venisse. Ver enim tanquam adolescentiam signíficat ostenditque fructus futuros, réliqua autem témpora demetendis frúctibus et percipiendis accommodata sunt. Fructus autem senectutis est, ut saepe dixi, ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia autem, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam quam sénibus émori? quod idem contingit adolescéntibus adversante et repugnante natura. Ítaque adolescentes mihi mori sic videntur, ut cum aquae multitúdine flammae vis opprímitur, senes autem sic ut cum sua sponte nulla adhíbita vi consumptus ignis extínguitur; et quasi poma ex arbóribus, cruda si sunt, vix evelluntur, si matura et cocta, décidunt, sic vitam adolescéntibus vis aufert, sénibus matúritas; quae quidem mihi tam jucunda est, ut quo propius ad mortem accēdam, quasi terram videre videar aliquandoque in portum ex longa navigatione esse ven-

turus. Senectutis autem nullus est certus términus; recteque in ea vívitur, quoad munus officii éxsequi et tueri possit; ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit quam adolescentia et fortior. Hoc illud est, quod Pisístrato tyranno a Solone responsum est, cum illi quaerenti, qua tandem re fretus sibi tam audáciter obsísteret, respondisse dícitur: 'Senectute.' Sed vivendi est finis óptimus, cum íntegra mente certisque sénsibus opus ipsa suum éadem quae coagmentavit, natura dissolvit. Ut navem, ut aedificium idem destruit facíllime, qui construxit, sic hóminem éadem óptime, quae conglutinavit, natura dissolvit. Jam omnis conglutinatio recens aegre, inveterata fácile divéllitur. Ita fit, ut illud breve vitae réliquum nec ávide adpetendum sénibus nec sine causa deserendum sit; vetatque Pythágoras injussu imperatoris, id est: dei, de praesidio et statione vitae decédere. Solonis quidem sapientis est elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Vult, credo, se esse carum suis; sed haud scio an melius Ennius:

Nemo me lácrumis décoret neque fúnera fletu
Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam inmortálitas consequatur. Jam sensus moriendi áliquis esse potest, isque ad exiguum tempus, praesertim seni; post mortem quidem sensus aut optandus aut nullus est. Sed

hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus, sine qua meditatione tranquillo ánimo esse nemo potest. Moriendum enim certe est, et incertum an hoc ipso die. Mortem ígitur ómnibus horis impendentem timens, qui póterit ánimo consístere? De qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cum recorder, non L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus; non duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt; non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret; non duos Scipiones, qui iter Poenis vel corpóribus suis obstrúere voluerunt; non avum tuum L. Paulum, qui morte luit collegae in Cannensi ignominia temeritatem; non M. Marcellum, cujus intéritum ne crudelíssimus quidem hostis honore sepulturae carere passus est; sed legiones nostras, (quod scripsi in Origínibus,) in eum locum saepe profectas álacri ánimo et erecto, unde se redituras numquam arbitrarentur. Quod ígitur adolescentes, et ii quidem non solum indocti, sed etiam rústici, contemnunt, id docti senes extimescent? Omnino, ut mihi quidem videtur, studiorum omnium satíetas vitae facit satietatem. Sunt pueritiae studia certa; num ígitur ea desíderant ado lescentes? sunt ineuntis adolescentiae; num ea constans jam requirit aetas, quae media dícitur? sunt etiam ejus aetatis; ne ea quidem quaeruntur in senectute; sunt extrema quaedam studia senectutis; ergo, ut superiorum aetatum studia óccidunt, sic óccidunt

etiam senectutis; quod cum évenit, satíetas vitae tempus maturum mortis adfert. Non enim video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dícere, quod eo cérnere mihi melius videor, quo ab ea propius absum. Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Laeli, viros claríssimos mihique amicíssimos, vívere árbitror, et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda. Nam, dum sumus inclusi in his compágibus córporis, múnere quodam necessitatis et gravi ópere perfúngimur; est enim ánimus caelestis ex altíssimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium. Sed credo deos immortales sparsisse ánimos in córpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique caelestium órdinem contemplantes imitarentur eum vitae modo atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio ímpulit, ut ita créderem, sed nobílitas etiam summorum philosophorum et auctóritas. Audiebam Pythágoram Pythagoreosque, íncolas paene nostros, qui essent Itálici philósophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos ánimos haberemus. Demonstrabantur mihi praeterea, quae Sócrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is qui esset omnium sapientíssimus oráculo Apóllinis judicatus. Quid multa? sic persuasi mihi, sic sentio, cum tanta celéritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa, non

posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem; cumque semper agitetur ánimus nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus, et, cum simplex ánimi esset natura neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissímile, non posse eum dívidi; quod si non posset, non posse interire; magnoque esse argumento hómines scire pléraque ante quam nati sint, quod jam pueri, cum artes diffíciles discant, ita celériter res innumerábiles arripiant, ut eas non tum primum accípere videantur, sed reminisci et recordari. Haec Platonis fere. haec. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major dicit : 'Nolite arbitrari, o mihi caríssimi filii, me, cum a vobis discéssero, nusquam aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, ánimum meum videbatis, sed eum esse in hoc córpore ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem ígitur esse creditote, etiamsi nullum vidébitis. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum ánimi effícerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem numquam persuaderi potuit, ánimos, dum in corpóribus essent mortálibus, vívere, cum excessissent ex eis, émori, nec vero tum ánimum esse insipientem, cum ex insipienti córpore evasisset, sed cum, omni admixtione córporis liberatus, purus et ínteger esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam cum

hóminis natura morte dissólvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedat; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt, ánimus autem solus, nec cum discedit, apparet. Jam vero videtis nihil esse morti tam símile quam somnum. Atqui dormientium ánimi máxime declarant divinitatem suam; multa enim, cum remissi et líberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intellígitur, quales futuri sint, cum se plane córporis vínculis relaxáverint. Quare, si haec ita sunt, sic me colitote', inquit, 'ut deum; sin una est interiturus ánimus cum córpore, vos tamen, deos verentes, qui hanc omnem pulchritúdinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servábitis.' Cyrus quidem haec moriens; nos, si placet, nostra videamus. Nemo umquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paulum aut duos avos, Paulum et Africanum, aut Africani patrem aut patruum aut multos praestantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi ánimo cérnerent posteritatem ad se ipsos pertinere. An censes (ut de me ipse áliquid more senum glorier) me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaeque suscepturum fuisse, si iisdem fínibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset otiosam aetatem et quietam sine ullo aut labore aut contentione tradúcere? Sed nescio quo modo ánimus érigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum dénique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet,

ut ánimi immortales essent, haud óptimi cujusque ánimus máxime ad immortalitatem et gloriam niteretur. Quid? quod sapientíssimus quisque aequíssimo ánimo móritur, stultíssimus iniquíssimo, nonne vobis vidétur, is ánimus, qui plus cernat et longius, videre se ad meliora proficisci, ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Équidem éfferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi, neque vero eos solos convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi et legi et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis fácile retráxerit nec tamquam Peliam recóxerit. Et si quis deus mihi largiatur. ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem nec vero velim quasi decurso spatio ad cárceres a calce revocari. Quid habet enim vita cómmodi? quid non potius laboris? Sed habeat sane, habet certe tamen aut satietatem aut modum. Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi, et ii docti, saepe fecerunt, neque me vixisse póenitet, quoniam ita vixi, ut non frustra me natum exístimem, et ex vita ita discedo tamquam ex hospitio, non tamquam e domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. O praeclarum diem, cum in illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar cumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior; cujus

a me corpus est crematum, (quod contra decuit, ab illo meum,) ánimus vero non me déserens, sed respectans in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fórtiter ferre visus sum, non quo aequo ánimo ferrem, sed me ipse consolabar exístimans non longinquum inter nos digressum et discessum fore. His mihi rebus, Scipio, (id enim te cum Laelio admirari solere dixisti) levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam jucunda Quod si in hoc erro, qui ánimos hóminum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo; sin mortuus, ut quidam minuti philósophi censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum philósophi mortui irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen extingui hómini suo témpore optábile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem aetatis est peractio, tamquam fábulae, cujus defectionem fúgere debemus, praesertim adjuncta satietate.

Haec habui, de senectute quae dícerem; ad quam útinam perveniatis! ut ea, quae ex me audistis, re experti probare possitis.

Q. Horatii F.

ODÆ

AD REMPÚBLICAM

O nav*is*, [1] réfer*e*nt *i*n mare t*e* novi
Fluctus. *O* quid ag*i*s? f*ó*rtiter *ó*ccupa
Portum. N*o*nne vides ut
Nudum r*e*migi*o* latus,

Et mal*u*s céler*i* s*a*ucius *Á*frico,
Antenn*æ*que gem*a*nt, *a*c sinè f*ú*nibus
Vix dur*a*re carinæ
Possent *i*mperi*o*sius

*Æ*quor? N*o*n tibi s*u*nt *í*ntegra l*i*ntea,
Non di, qu*o*s *í*ter*u*m pr*e*ssa voc*e*s malo.
Quàmvis P*ó*ntica pinus,
Silvæ *f*ilia n*ó*bilis,

Jactes *e*t genus *e*t *no*men in*ú*tile,
Nil pict*i*s tímid*u*s n*á*vita p*ú*ppibus
Fidit. T*u*, nisi ventis
Debes l*u*dibri*u*m, cave.

Nuper s*o*ll*í*cit*u*m qu*æ* mihi t*æ*dium,
Nunc desideri*u*m c*ú*raque n*o*n levis,
Interf*u*sa nitentes
Vites *æ*quora *Cy*cladas.

(1) Las letras cursivas marcan los dáctilos y la cesura.

AD PÚERUM

Pérsicos od*i*, puer, apparatus;
Dísplicent nex*æ* phílyrâ coronæ:
Mitte sectar*i* rosa quo locorum
S*e*ra moretur.

Símplici myrt*o* nihil allabores
Sédulus cur*o*: neque te ministrum
Dédecet myrt*us*, neque me sub arctâ
V*i*te bibentem.

AD LICINIUM

Rectiùs viv*es*, Licini, neque altum
Semper urgend*o*, neque, dum procellas
Cautus horresc*is*, nimiúm premendo
L*i*ttus iniquum,

Auream quisqu*is* mediocritatem
Díligit, tut*us* caret obsoleti
Sórdibus tect*i*, caret invidendâ
S*o*brius aulâ.

Sæpiùs vent*is* agitatur ingens
Pinus, et cels*æ* graviore casu
Décidunt turr*es*, feriuntque summos
F*ú*lgura montes.

Sperat infest*is*, metuit secundis
Álteram sort*em* bene præparatum
Pectus. Inform*es* híemes reducit
J*ú*piter, idem

Súbmovet. Non, s*i* malè nunc, et olim
Sic erit: quond*a*m cítharâ tacentem
Súscitat Mus*a*m, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Rebus angust*i*s animosus atque
Fortis appar*e*; sapienter idem
Cóntrahes vent*o* nimiùm secundo
T*ú*rgida vela.

AD PÓSTUMUM

Eheu! fugac*e*s, P*ó*stume, P*ó*stume,
Labuntur ann*i*, n*e*c píet*a*s moram
Rugis et instanti senectæ
*Á*fferet, *i*ndomitæque morti;

Non, si trecenis, qu*o*tquot e*u*nt dies,
Amice, plac*e*s *i*llacrim*á*bilem
Plutona tauris, qui ter amplum
G*e*ryon*e*n Tityonque tristi

Compescit und*à*, sc*í*licet ómnibus,
Quicumque terr*æ* m*ú*nere v*é*scimur,
Enavigandâ, sive reges,
S*i*ve ínop*e*s érimus coloni.

Frustrà cruent*o* M*a*rte car*é*bimus,
Fractisque rauc*i* fl*ú*ctibus *A*driæ;
Frustrà per autumnos nocentem
C*o*rpórib*u*s metuemus Austrum:

Visendus at*e*r fl*ú*mine l*á*nguido
Cocytos err*a*ns, *e*t Dana*ï* genus
Infame, damnatusque longi
S*í*syphus *Æ*ólides laboris.

Linquenda tell*u*s, *e*t domus, *e*t placens
Uxor; neque har*u*m qu*a*s colis *á*rborum
Te, præter invisas cupressos,
*U*lla brev*e*m dóminum sequetur.

Absumet her*e*s C*æ*cuba d*i*gnior
Servata cent*u*m cl*á*vibus, *e*t mero
Tinget pavimentum superbo,
P*o*ntífic*u*m potiore cœnis.

AD GROSPHUM

Otium Div*o*s rogat in patenti
Prensus Ægæ*o*, simul atra nubes
Cóndidit lun*a*m, neque certa fulgent
S*i*dera nautis;

Otium bell*o* furiosa Thrace,
Otium Med*i* phàretrâ decori,
Grosphe, non gemm*i*s neque púrpurâ ve-
n*a*le nec auro.

Non enim gaz*æ* neque consularis
Súbmovet lict*o*r míseros tumultus
Mentis, et cur*a*s laqueata circum
T*e*cta volantes.

Vívitur parv*o* bene, cui paternum
Splendet in mens*â* tenui salinum,
Nec leves somn*o*s timor aut cupido
Sórdidus aufert.

Quid brevi fort*e*s jaculamur ævo
Multa? quid terr*a*s alio calentes
Sole mutam*u*s? Patriæ quis exsul
S*e* quoquè fugit?

Scandit ærat*a*s vitiosa naves
Cura, nec turm*a*s équitum relinquit,
Ocior cerv*i*s, et agente nimbos
*O*cior Euro.

Lætus in præs*e*ns ánimus quod ultrà est
Óderit cur*a*re, et amara lento
Témperet ris*u*; nihil est ab omni
P*a*rte beatum.

Ábstulit clar*u*m cita mors Achillem,
Longa Tithon*u*m minuit senectus:
Et mihi fors*a*n, tibi quod negârit,
P*ó*rriget hora.

Te greges cent*u*m Siculæque circum
Mugiunt vacc*æ*; tibi tollit hinnitum
Apta quadrig*i*s equa; te bis Afro
M*ú*rice tinctæ

Vestiunt lan*æ*: mihi parva rura, et
Spíritum Grai*æ* tenuem Camenæ
Parca non mend*a*x dedit, et malignum
Sp*é*rnere vulgus.

AD JULIUM ANTONIUM

Píndarum quisqu*i*s studet æmulari,
Jule, cerat*i*s ope Dædal*é*â
Nítitur penn*i*s, vitreo daturus
N*ó*mina ponto.

Monte decurr*e*ns velut amnis, imbres
Quem super not*a*s aluere ripas,
Fervet, immens*u*sque ruit profundo
P*í*ndarus ore

Laureâ don*a*ndus Apollinari,
Seu per audac*e*s nova dithyrambos
Verba devolv*it*, numerisque fertur
L*e*ge solutis;

Seu Deos reg*e*sve canit, Deorum
Sánguinem, per qu*o*s cecidere justâ
Morte Centau*ri*, cécidit tremendæ
Fl*a*mma Chimæræ;

Sive, quos El*é*a domum reducit
Palma cœlest*e*s, pugilemve equumve
Dicit, et cent*u*m potiore signis
M*ú*nere donat;

Flébili spons*æ* juvenemve raptum
Plorat, et vir*e*s animumque moresque
Aureos ed*u*cit in astra, nigroque
*Í*nvidet Orco.

Multa Dircæ*u*m levat aura cycnum,
Tendit, Antoni*i*, quoties in altos
Nubium tract*u*s. Ego, apis Matinæ
    M*o*re modoque

Grata carpent*i*s thyma per laborem
Plúrimum, circ*a* nemus uvidique
Tíburis rip*a*s, operosa parvus
    C*á*rmina fingo.

Cóncines maj*o*re poeta plectro
Cæsarem, qnand*o*que trahet feroces
Per sacrum cliv*u*m, méritâ decorus
    Fr*o*nde, Sicambros;

Quo nihil maj*u*s meliusve terris
Fata donav*e*re bonique Divi
Nec dabunt, quàmv*i*s redeant in aurum
    T*é*mpora priscum.

Cóncines læt*o*sque dies et Urbis
Públicum lud*u*m super impetrato
Fortis August*i* réditu, forumque
    L*í*tibus orbum.

Tum meæ (si qu*i*d loquar audiendum)
Vocis acced*e*t bona pars; et: « O sol
Pulcher! o laud*a*nde! » canam, recepto
    C*æ*sare felix.

Teque, dum proc*e*dit, « Io triumphe »
Non semel dic*e*mus; « Io triumphe »,
Cívitas omn*i*s; dabimusque Divis
    T*u*ra benignis.

Te decem taur*i* totidemque vaccæ,
Me tener solv*e*t vítulus, relictâ
Matre qui larg*i*s juvenescit herbis
*I*n mea vota,

Fronte curvat*o*s imitatus ignes
Tertium lun*æ* referentis ortum,
Quà notam dux*i*t, niveus videri,
C*é*tera fulvus.

ALFIUS

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fóenore,
Nec excitatur clássico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum límina.
Ergo aut adultâ vitium propágine
Altas maritat pópulos,
Aut in reductâ valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Inutilesque falce ramos ámputans,
Feliciores ínserit,
Aut pressa puris mella condit ámphoris,
Aut tondit infirmas oves;
Vel, quum decorum mítibus pomis caput
Autumnus agris éxtulit,

Ut gaudet insitiva decerpens pira,
Certantem et uvam púrpuræ,
Quâ muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium!
Libet jacere modò sub antiquâ ílice,
Modò in tenaci grámine;
Labuntur altis ínterim ripis aquæ,
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis óbstrepunt manántibus
Somnos quod invitet leves.
At, quum tonantis annus hibernus Jovis
Imbres nivesque cómparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multâ cane
Apros in obstantes plagas,
Aut ámite lævi rara tendit retia,
Turdis edácibus dolos,
Pavidumque léporem et ádvenam laqueo gruem
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter oblivíscitur?
Quòd si pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces líberos,
Sabina qualis aut perusta sólibus
Pernicis uxor Ápuli,
Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis crátibus lætum pecus,
Distenta siccet úbera,
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas ápparet;

Non me Lucrina júverint conchylia
Magisve rhombus aut scari,
Si quos Eóis intonata flúctibus
Hiems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non áttagen Iónicus
Jucundior quàm lecta de pinguíssimis
Oliva ramis árborum,
Aut herba lápathi prata amantis, et gravi
Malvæ salubres córpori,
Vel agna festis cæsa Terminálibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter épulas ut juvat pastas oves
Videre properantes domum,
Videre fessos vómerem inversum boves
Collo trahentes lánguido,
Positosque vernas, ditis examen domùs,
Circum renidentes Lares!

Hæc ubi locutus fœnerator Alfius,
Jam jam futurus rústicus,
Omnem redegit Ídibus pecuniam....
Quærit Calendis pónere.

P. Virgilii M.

ÆNÉIS

I

*A*rma vir*u*mque cano, Trojæ qui pr*i*mus ab oris
*I*taliam, fat*o* prófugus, Lav*í*naque venit
L*í*ttora. Multum ille et terris jact*a*tus et alto
V*i* Súperum, sæv*œ* mémorem Jun*o*nis ob iram;
M*u*lta quoque et bello passus, dum c*ó*nderet urbem
Inferr*e*tque de*o*s Lati*o*, genus *u*nde Latinum,
Alban*i*que patres, atque altæ m*œ*nia Romæ.
M*u*sa, mihi caus*a*s mémora, quo n*ú*mine læso,
Qu*i*dve dolens regina deum tot v*ó*lvere casus
Insign*e*m piet*a*te vir*u*m, tot ad*i*re labores
*I*mpúlerit. Tant*œ*ne ánimis cœléstibus iræ!
Urbs ant*i*qua fu*i*t, Tyri*i* tenu*e*re coloni,
Carthago, *I*taliam contr*a* Tiber*i*naque longe
*O*stia, d*i*ves op*u*m studiisque asp*é*rrima belli;
Quam Juno fertur terr*i*s magis *ó*mnibus unam
P*o*sthábit*a* colu*i*sse Samo. Hic *i*llius arma,
Hic curr*u*s fuit; hoc regn*u*m dea g*é*ntibus esse,
Si qua f*a*ta sinant, jam tum tend*i*tque fovetque.
Pr*o*geni*e*m sédenim Trojano a s*á*nguine duci
*Á*udier*a*t, Tyrias olim quæ v*é*rteret arces;
H*i*nc pópulum late regem bell*o*que superbum
Venturum *e*xcidi*o* Libyæ: sic v*ó*lvere Parcas.

Id metuens veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gésserat Argis:
Necdum etiam causæ irarum sævique dolores
Excíderant ánimo; manet alta mente repostum
Judicium Páridis spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, et rapti Gamynedis honores.
His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaum atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant, acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam cóndere gentem!
Vix e conspectu Sículæ telluris in altum
Vela dabant læti et spumas salis ære ruebant,
Quum Juno, æternum servans sub péctore vulnus,
Hæc secum: «Mene incepto desístere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avértere regem?
Quippe vetor fatis! Pallasne exúrere classem
Argivum atque ipsos potuit submérgere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei?
Ipsa, Jovis rápidum jaculata e núbilus ignem,
Disjecitque rates evertitque æquora ventis;
Illum, exspirantem transfixo péctore flammas,
Túrbine corripuit scopuloque infixit acuto:
Ast ego, quæ divum incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux, una cum gente tot annos
Bella gero! Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?»
Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca feta furéntibus Austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro

Luctantes ventos tempestat*e*sque sonoras
*I*mperi*o* premit ac vinclis et c*á*rcere frenat.
Illi indignantes magno cum m*ú*rmure montis
Circum cl*a*ustra fremunt; cels*a* sedet *Æ*olus arce,
Sc*e*ptra tenens, moll*i*tque ánimos et t*é*mperat iras.
N*i* faci*at*, maria ac terras cœl*u*mque profundum
Qu*i*ppe fer*a*nt rápidi secum verr*a*ntque per auras.
S*e*d pater *o*mnípotens speluncis *á*bdidit atris,
H*o*c metuens, molemque et montes *í*nsuper altos
*Í*mposuit, reg*é*mque dedit, qui fœdere certo
*E*t prémere et laxas scir*e*t dare j*u*ssus habenas.
  *A*d quem tum Juno supplex his v*ó*cibus usa est:
«*Æ*ole (namque tibi div*u*m pater *a*tque hóminum rex
Et mulcere dedit fluctus et t*ó*llere vento),
G*e*ns inimica mihi Tyrrhenum n*á*vigat æquor,
*I*lium in *I*taliam portans vict*o*sque Penates:
*I*ncute vim ventis submersasque *ó*brue puppes,
*A*ut age diversos et d*í*sjice c*ó*rpora ponto.
S*u*nt mihi bis septem præstanti c*ó*rpore Nymphæ.
Quarum, quæ forma pulch*é*rrima, D*é*iopeiam,
C*o*nnubio jung*a*m st*á*bil*i* propri*a*mque dicabo,
Omnes ut tecum m*é*ritis pro t*á*libus annos
*É*xigat, et pulchr*a* faciat te pr*o*le parentem.»
  *Æ*olus hæc contr*a*: «Tuus, o reg*i*na, quid optes
Explor*a*re lab*o*r; mihi j*u*ssa cap*é*ssere fas est.
T*u* mihi quodcumque hoc regni, tu sc*e*ptra Jovemque
Concilias; tu d*a*s épulis acc*ú*mbere divum,
Nimbor*u*mque facis tempestat*u*mque potentem».
  H*æ*c ubi d*i*cta, cavum conversa c*ú*spide montem
Ímpulit *i*n latus; ac vent*i*, velut *á*gmine facto,

Qu*a* data porta, ruunt, et terras t*ú*rbine perflant.
*I*ncubuere mari, tot*u*mque a s*é*dibus imis
Una Eurúsque Not*u*sque ruunt, creb*e*rque procellis
*Á*fricus, et vastos volvunt ad l*í*ttora fluctus.
*I*nséquitur clam*o*rque virum strid*o*rque rudentum.
*E*ripi*u*nt súbito nubes cæl*u*mque diemque
Teucrorum *e*x óculis: ponto nox *í*ncubat atra.
*I*ntonuere poli et crebr*i*s micat *í*gnibus æther;
Præsent*e*mque viris intentant *o*mnia mortem,
Extemplo *Æ*néæ solvuntur fr*í*gore membra;
*Í*ngemit, *e*t dúplices tendens ad s*í*dera palmas,
T*a*lia v*o*ce refert : « O t*e*rque quat*e*rque beati
Queis ante *o*ra patrum, Trojæ sub mænibus altis,
C*ó*ntigit *o*ppétere! *o* Danaum fort*í*ssime gentis
Tydide, mene *I*líacis occ*ú*mbere campis
Non potu*i*sse, tuaque ánimam hanc eff*ú*ndere dextra,
S*æ*vus ubi *Æ*ácidæ tel*o* jacet H*e*ctor, ubi ingens
Sarped*o*n, ubi t*o*t Símois corr*e*pta sub undis.
Sc*u*ta vir*u*m galeasque et f*o*rtia c*ó*rpora volvit! »
T*a*lia jactanti strid*e*ns Aquil*o*ne procella
Velum adv*e*rsa ferit, fluct*u*sque ad s*í*dera tollit.
Franguntur remi; tum prora av*e*rtit, et undis
D*a*t latus; *i*nséquit*u*r cúmulo prær*u*ptus aquæ mons
Hi summo in fluctu pendent; his *u*nda dehiscens
Terram inter fluct*u*s áper*i*t; furit *æ*stus arenis.
Tr*e*s Notus abreptas in s*a*xa lat*e*ntia torquet
(S*a*xa voc*a*nt Ítal*i* mediis quæ in fl*ú*ctibus Aras,
Dorsum imm*a*ne mari summo), tres *E*urus ab alto
*I*n brevia et syrtes urg*e*t, miser*á*bile visu!
Illid*i*tque vadis atque *á*ggere c*i*ngit arenæ.

Unam, qu*æ* Lycios fid*u*mque veh*e*bat Oronten,
*I*psius *a*nte óculos ingens a v*é*rtice pontus
In pupp*i*m ferit: *e*xcútitur pron*u*sque magister
V*ó*lvitur *i*n caput; ast illam ter fl*u*ctus ibidem
T*o*rquet agens circum *e*t rápid*u*s vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in g*ú*rgite vasto,
*A*rma vir*u*m tabulæque et Tr*o*ia g*a*za per undas.
J*a*m válidam *I*lionei navem, jam f*o*rtis Achatæ
Et qua v*e*ctus Abas, et qua grand*æ*vus Aletes,
V*i*cit hiems; lax*i*s láterum comp*á*gibus omnes
*A*ccipi*u*nt inim*i*cum imbrem, rim*i*sque fatiscunt.
*I*nterea magno misceri m*ú*rmure pontum,
Emiss*a*mque híemem sensit Nept*u*nus, et imis
St*a*gna ref*u*sa vad*i*s, gr*á*viter comm*o*tus; et alto
Pr*o*spiciens, summ*a* plácid*u*m caput *é*xtulit unda.
Disjectam Ænéæ tot*o* videt *æ*quore classem,
Fl*ú*ctibus oppressos Troas cœl*i*que ruina.
N*e*c latu*e*re doli fratrem Jun*o*nis et iræ;
Eurum ad s*e* Zephyrúmque vocat; dehinc t*a*lia fatur:
«T*á*ntane v*o*s géner*i*s tenuit fid*u*cia vestri?
Jam cælum terr*a*mque, me*o* sine n*ú*mine, venti,
Miscere, et tantas audetis t*ó*llere moles!
Quos ego.... Sed motos præstat comp*ó*nere fluctus
P*o*st mihi n*o*n símili pœna comm*i*ssa luetis.
Matur*a*te fugam, regique hæc d*i*cite vestro:
Non illi *i*mperi*u*m pélagi sæv*u*mque tridentem,
S*e*d mihi s*o*rte dat*u*m. Tenet ille imm*a*nia saxa,
Vestras, *E*ure, domos; illa se j*a*ctet in aula
*Æ*olus, et clauso ventorum c*á*rcere regnet.»
S*i*c ait, et dict*o* citi*u*s túmida *æ*quora placat,

Collect*a*sque fugat nubes, sol*e*mque reducit.
C*y*móthoe simul et Triton ann*i*xus acuto
Detrudunt naves sc*ó*pulo; levat *i*pse tridenti,
Et vast*a*s áperit syrtes, et t*é*mperat æquor,
*A*tque rotis summ*a*s lévibus perl*á*bitur undas
*A*c véluti magno *i*n pópulo quum s*æ*pe coorta est
S*e*ditio, sæv*i*tque ánimis ign*ó*bile vulgus,
J*a*mque faces et s*a*xa vol*a*nt, furor *a*rma ministrat;
T*u*m, pietate gravem *a*c méritis si f*o*rte virum quem
Conspex*e*re, silent, arrectisque *á*uribus adstant;
*I*lle regit dict*i*s ánimos, et p*é*ctora mulcet:
Sic cunct*u*s pélag*i* cécid*i*t fragor, *æ*quora postquam
Pr*o*spici*e*ns génitor, cœloque inv*e*ctus aperto,
Fl*e*ctit equos curr*u*que volans dat l*o*ra secundo.
Defessi *Æ*néadæ, quæ pr*ó*xima l*í*ttora, cursu
Contend*u*nt pétere, *e*t Libyæ vert*u*ntur ad oras.
Est in secessu long*o* locus: *í*nsula portum
*É*fficit object*u* láter*u*m, quibus *o*mnis ab alto
Fr*á*ngitur *i*nque sinus scindit sese *u*nda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rup*e*s gemin*i*que minantur
In cœl*u*m scópuli, quorum sub v*é*rtice late
*Æ*quora t*u*ta silent; tum silvis sc*e*na coruscis
D*é*super horrentique atr*u*m nemus *í*mminet umbra.
Fr*o*nte sub advers*a* scópulis pend*é*ntibus antrum;
*I*ntus aquæ dulces viv*o*que sedilia saxo,
Nymphar*u*m domus. Hic fessas non v*í*ncula naves
*U*lla tenent, unco non *í*lligat *á*ncora morsu.
Huc septem Ænéas collectis n*á*vibus omni
*E*x númer*o* subit, ac magno tell*u*ris amore
Egressi optat*a* potiuntur Tr*o*es arena,

*E*t sale tabentes artus in l*í*ttore ponunt.
Ac prim*u*m sílici scintillam exc*u*dit Achates,
Suscepitque ign*e*m foliis atque *á*rida circum
Nutrim*e*nta ded*i*t, rapuitque in f*ó*mite flammam
T*u*m Cérerem corruptam und*i*s Cere*a*liaque arma
*E*xpediunt fessi rerum, frug*e*sque receptas
Et torr*e*re parant flammis et fr*á*ngere saxo.
Æné*a*s scópulum *i*nterea consc*e*ndit, et omnem
Prospectum lat*e* pélag*o* petit, *Á*nthea si quem
Jactatum vent*o* vide*a*t Phrygi*a*sque biremes.
*A*ut Capyn, aut celsis in p*ú*ppibus arm*a* Caici.
Navem in conspectu nullam; tres l*í*ttore cervos
Pr*ó*spicit errantes; hos tota arm*e*nta sequuntur
A tergo, et longum per valles p*á*scitur agmen.
C*ó*nstitit hic arcúmque man*u* celer*e*sque sagittas
C*o*rripuit, fidus quæ t*e*la ger*e*bat Achates,
Ductoresque ipsos prim*u*m cápita *a*lta ferentes
C*ó*rnibus *a*rboreis, sternit; tum v*u*lgus et omnem
M*i*scet agens tel*i*s némora inter fr*o*ndea turbam;
N*e*c prius absistit quam septem ing*e*ntia victor
C*ó*rpora f*u*ndat humi *e*t númerum cum n*á*vibus æquet.
Hinc port*u*m petit, *e*t socios part*i*tur in omnes.
V*i*na bonus quæ deinde cad*i*s oner*a*rat Acestes
L*í*ttore Tr*i*nacri*o*, deder*a*tque abe*ú*ntibus heros,
D*í*vidit, et dictis mœrentia p*é*ctora mulcet:
O soci*i* (neque enim ignar*i* sumus *a*nte malorum),
O pass*i* gravi*o*ra, dab*i*t deus h*i*s quoque finem.
Vos et Scyllæ*a*m rabi*e*m penit*u*sque sonantes
Accest*i*s scópulos; vos et Cycl*o*pea saxa
Expert*i*: revoc*a*te ánimos, mœst*u*mque timorem

M*í*ttite; f*o*rsan et hæc ol*i*m memin*i*sse juvabit.
P*e*r varios casus, per tot discr*í*mina rerum,
T*é*ndimus *i*n Lati*u*m, sed*e*s ubi f*a*ta quietas
Ostend*u*nt; illic fas r*e*gna res*ú*rgere Trojæ.
Durate, et vosmet rebus serv*a*te secundis.»

DESTINOS DE ROMA

(VI, 679 - 901)

At pater Anchises pénitus convalle virenti
Inclusas ánimas, superumque ad lumen ituras.
Lustrabat studio récolens, omnemque suorum
Forte recensebat númerum, carosque nepotes,
Fátaque, fortunasque virum, moresque manusque
Isque ubi tendentem adversum per grámina vidit
Enéan, álacris palmas utrasque tetendit,
Effusæque genis lácrimæ, et vox éxcidit ore:
« Venisti tandem, túaque exspectata parenti
Vicit iter durum píetas! datur ora tueri,
Nate, tua, et notas audire et réddere voces!
Sic équidem ducebam ánimo rebarque futurum,
Témpora dinúmerans; nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras et quanta per áequora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui ne quid Libyæ tibi regna nocerent! »
Ille autem: «Tua me, génitor, tua tristis imago,
Sæpius occurrens, hæc límina téndere adegit.

Stant sale Tyrrheno classes. Da júngere dextram,
Da, génitor, teque amplexu non súbtrahe nostro.»
Síc mémorans, largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par lévibus ventis volucrique simíllima somno.
Interea videt Ænéas in valle reducta
Seclusum nemus et virgulta sonanta silvis,
Lethæumque, domos plácidas qui práenatat, amnem
Hunc circum innúmeræ gentes populique volabant;
Ac véluti in pratis ubi apes æstate serena
Flóribus insidunt variis et cándida circum
Lilia funduntur; strepit omnis múrmure campus
Horrescit visu súbito, causasque requirit
Inscius Ænéas, quæ sint ea flúmina porro,
Quive viri tanto complerint ágmine ripas.
Tum pater Anchises: «Ánimæ, quibus áltera fato
Córpora debentur. Lethæi ad flúminis undam
Securos látices et longa oblivia potant.
Has équidem memorare tibi atque osténdere coram,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare tuorum,
Quo magis Italia mecum lætere reperta
—«O pater, anne áliquas ad cœlum hinc ire putandum
Sublimes ánimas, iterumque ad tarda reverti [est
Córpora? Quæ lucis míseris tam dira cupido? »
—« Dicam équidem, nec te suspensum, nate, tenebo,»
Súscipit Anchises; atque órdine síngula pandit.
« Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaníaque astra,
Spíritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens ágitat molem, et magno se córpore miscet.
Inde hóminum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub áequore pontus.
Igneus est ollis vigor et cœlestis origo
Semínibus, quantum non noxia córpora tardant
Terrenique hébetant artus moribúndaque membra:
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque
[auras
Dispiciunt, clausæ ténebris et cárcere cæco.
Quin et supremo quum lúmine vita reliquit,
Non tamen omne malum míseris nec fúnditus omnes
Corporeæ excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inoléscere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos; aliis sub gúrgite vasto
Infectum elúitur scelus, aut exúritur igni:
Quisque suos pátimur manes. Exinde per amplum
Míttimur Elysium, et pauci læta arva tenemus;
Donec longa dies, perfecto témporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque relinquit
Ætherium sensum atque aurái símplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium deus évocat ágmine magno,
Scílicet immémores súpera ut convexa revisant,
Rursus et incipiant in córpora velle reverti.»
Díxerat Anchises, natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios turbamque sonantem,
Et túmulum capit, unde omnes longo órdine posset
Adversos légere, et venientum díscere vultus.

« Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Ítala de gente nepotes,
Illustres ánimas nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
« Ille, vides, pura júvenis qui nítitur hasta
Próxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Ætherias, Ítalo commixtus sánguine, surget,
Silvius, Albanum nomen, tua póstuma proles,
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet silvis regem regumque parentem,
Unde genus Longa nostrum dominábitur Alba.
« Próximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis;
Et Capys, et Númitor, et, qui te nómine reddet,
Silvius Ænéas, páriter pietate vel armis
Egregius, si unquam regnandam accéperit Albam.
Qui júvenes! quantas ostentant, ádspice, vires!
Atque umbrata gerunt civili témpora quercu.
Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent móntibus arces,
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque
Hæc tum nómina erunt, nunc sunt sine nómine terræ.
« Quin et avo cómitem sese Mavortius addet
Rómulus, Assáraci quem sánguinis Ilia mater
Educet. Viden' ut géminæ stant vértice cristæ,
Et pater ipse suo súperum jam signat honore?
En hujus, nate, auspiciis illa ínclyta Roma
Imperium terris, ánimos æquabit Olympo,
Septemque una sibi muro circúmdabit arces,
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Invéhitur curru Phrygias turrita per urbes,

Læta deum partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlícolas, omnes súpera alta tenentes.
«Huc géminas nunc flecte acies; hanc ádspice gentem,
Romanosque tuos. Hic Cæsar et omnis Iuli
Progenies, magnum cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, divi genus, aurea condet
Sécula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam; super et Garamantas et Indos
Próferet imperium; jacet extra sídera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi cóelifer Atlas
Axem húmero torquet stellis ardéntibus aptum,
Hujus in adventum jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divum, et Mæotia tellus,
Et septemgémini turbant trépida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit,
Fíxerit ærípedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit némora, et Lernam tremefécerit arcu;
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysæ de vértice tigres.
Et dubitamus adhuc virtutem exténdere factis?
Aut metus Ausonia próhibet consístere terra?
« Quis procul ille autem ramis insignis olivæ,
Sacra ferens? Nosco crines incánaque menta
Regis Romani, primam qui légibus urbem
Fundabit, Cúribus parvis et páupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis
Ágmina. Quem juxta séquitur jactantior Ancus,

Nunc quoque jam nimium gaudens populáribus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?
Cónsulis imperium hic primus sævasque secures
Accipiet; natosque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
Infelix! Utcumque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.
« Quin Decios Drusosque procul, sævumque securi
Ádspice Torquatum et referentem signa Camillum.
Illæ autem, páribus quas fúlgere cernis in armis,
Concordes ánimæ nunc et dum nocte premuntur,
Heu! quantum inter se bellum, si lúmina vitæ
Attígerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggéribus socer Alpinis atque arce Monœci
Descendens, gener adversis instructus Eóis.
Ne, púeri, ne tanta ánimis assuéscite bella
Neu patriæ válidas in víscera vértite vires!
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis olympo;
Prójice tela manu, sanguis meus!
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.
Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Æáciden, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos Trojæ templa et temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tácitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus? aut géminos, duo fúlmina belli,
Scipíadas, cladem Libyæ, parvoque potentem
Fabricium? vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rápitis, Fabii? Tu Máximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.

« Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo équidem; vivos ducent de mármore vultus;
Orabunt causas melius, cælique meatus
Describent radio et surgentia sídera dicent:
Tu régere imperio pópulos, Romane, memento;
Hæ tibi erunt artes, pacisque impónere morem,
Párcere subjectis, et debellare superbos.»
Sic pater Anchises; atque hæc mirántibus addit:
« Ádspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingréditur, victorque viros superéminet omnes!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Pænos Gallumque rebellem,
Tertíaque arma patri suspendet capta Quirino».
Atque hic Ænéas (una namque ire videbat
Egregium forma júvenem et fulgéntibus armis;
Sed frons læta parum, et dejecto lúmina vultu):
« Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne áliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strépitus circa cómitum! quantum instar in ipso!
Sed nox atra caput tristi circúmvolat umbra.»
Tum pater Anchises, lácrimis ingressuas obortis:
« O nate, ingentem luctum ne quære tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, súperi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gémitus! vel quæ, Tiberine, videbis
Fúnera quum túmulum præterlabere recentem!
Nec puer Ilíaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos; nec Rómula quondam

Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu píetas! heu prisca fides invíctaque bello
Déxtera! Non illi se quisquam impune tulisset
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi fóderet calcáribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata áspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Mánibus date lilia plenis.
Purpureos spargam flores, animamque nepotis,
His saltem accúmulem donis, et fungar inani
Múnere.» Sic tota passim regione vagantur
Áeris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quæ postquam Anchises natum per síngula duxit,
Incenditque ánimum famæ venientis amore,
Exin bella viro mémorat quæ deinde gerenda,
Laurentesque docet pópulos urbemque Latini,
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt géminæ Somni portæ, quarum áltera fertur
Cornea, qua veris fácilis datur éxitus umbris;
Áltera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.
His ibi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prósequitur dictis, portaque emittit eburna.
Ille viam secat ad naves sociosque revisit.
Tum se ad Caietæ recto fert líttore portum.
Áncora de prora jácitur; stant líttore puppes.

P. Ovidii N.

ELEGÍA I.

P*a*rve (nec *i*nvide*o*) sine m*e*, liber, *i*bis in urbem:
H*e*i mihi! qu*o* dómin*o* n*o*n licet *i*re tu*o*.
V*a*de, sed incultus, qual*e*m decet *é*xulis esse.
Infel*i*x hábit*u*m t*é*mporis h*u*jus hab*e*.
Nec te p*u*rpureo velent vacc*i*nia succo;
Non est c*o*nveni*e*ns l*ú*ctibus *i*lle col*o*r:
N*e*c títul*u*s minio, nec cedro ch*a*rta notetur:
C*á*ndida nec nigr*a* c*o*rnua fr*o*nte ger*a*s.
Felices ornent hæc instrum*e*nta libellos;
Fortun*æ* mémor*e*m t*e* decet *e*sse meæ;
N*e*c frágil*i* gémin*æ* poliantur p*ú*mice frontes:
Hirsutus spars*i*s ut vide*a*re com*i*s.
N*e*ve liturar*u*m pudeat: qui v*í*derit illas,
D*e* lácrymis fact*a*s sentiet esse meis.
V*a*de, liber, verb*i*sque me*i*s loca gr*a*ta saluta.
Contingam cert*e* quo licet illa pede.
S*i* quis, ut *i*n pópulo nostri non *í*mmemor illic,
Si quis, qu*i* quid ag*a*m forte requirat, erit;
V*í*vere me dices: salv*u*m tamen *e*sse negabis;
*I*d quoque quod viv*a*m, munus haberé dei.
T*e*que ita t*u* tácitus quærenti pl*u*ra legendum,
Ne, quæ n*o*n opus *e*st, forte loquare, dabis.
Pr*ó*tinus *a*dmónit*u*s répet*e*t mea cr*í*mina lector,
*E*t pérag*a*r pópul*i* públicus ore reus.

Neu, cave, defendas, quamvis mordébere dictis.
  Causa patrocinio non bona pejor erit.
Invenies áliquem, qui me suspiret ademptum,
  Cármina nec siccis pérlegat ista genis:
Et tácitus secum, ne quis malus audiat, optet,
  Sit mea, lenito Cáesare, pœna minor.
Nos quoque, quisquis erit, ne sit miser ille, precamur,
  Placatos mísero qui volet esse deos.
Quaeque volet, rata sint: ablátaque príncipis ira
  Sédibus in patriis det mihi posse mori.
Ut péragas mandata, liber, culpábere forsan,
  Ingeniique minor laude ferere mei.
Júdicis officium est, ut res, ita témpora rernm
  Quáerere; quæsito témpore, tutus eris.
Cármina proveniunt ánimo deducta sereno:
  Núbila sunt súbitis témpora nostra malis.
Cármina secessum scribentis et otia quærunt:
  Me mare, me venti, me fera jactat hyems.
Carmínibus metus omnis abest: ego pérditus ensem
  Hæsurum júgulo jam puto jamque meo.
Hæc quoque, quod facio, judex mirábitur æquus:
  Scríptaque cum venia qualiacumque leget.
Da mihi Maeóniden, et tot circúmjice casus;
  Ingenium tantis éxcidet omne malis.
Dénique securus famæ, liber, ire memento,
  Nec tibi sit lecto displicuisse pudor.
Non ita se nobis præbet fortuna secundam,
  Ut tibi sit ratio laudis habenda tuæ.
Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
  Quærendique mihi nóminis ardor erat.

Cármina nunc si non studiumque, quod obfuit, odi,
  Sit satis: ingenio sic fuga parta meo.
I tamen, i pro me tu, cui licet, ádspice Romam.
  Di fácerent, posses non meus esse liber!
Nec te, quod venias magnam peregrinus in urbem,
  Ignotum pópulo posse venire puta.
Ut título careas, ipso noscere colore:
  Dissimulare velis te licet esse meum.
Clam tamen intrato: ne te mea cármina lædant.
  Non sunt, ut quondam plena favoris erant.
Si quis erit, qui te, quia sis meus, esse legendum
  Non putet, e gremio rejiciatque suo,
«Ínspice, dic, títulum: non sum præceptor amoris:
  Quas meruit pœnas, jam dedit illud opus.»
Fórsitan exspectes an in alta palatia missum
  Scándere te jubeam Cæsareamque domum.
Ignoscant augusta mihi loca, dique locorum:
  Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.
Esse quidem mémini mitíssima sédibus illis
  Númina, sed timeo qui nocuere deos.
Terretur mínimo pennæ stridore columba,
  Únguibus, accípiter, saucia facta tuis:
Nec procul a stábulis audet secédere, si qua
  Excussa est ávidi déntibus agna lupi.
Vitaret cœlum Pháeton, si víveret; et quos
  Optarat stulte, tángere nollet equos.
Me quoque quæ sensi fateor Jovis arma timere:
  Me reor infesto, quum tonat, igne peti.
Quicumque Argólica de classe Capharea fugit,
  Semper ab Eubóicis vela retorquet aquis.

Et mea cymba semel vasta percussa procella,
  Illum, quo læsa est, horret adire locum.
Ergo, care liber, tímida circúmspice mente,
  Et satis a media sit tibi plebe legi.
Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
  Ícarus, Icariis nómina fecit aquis.
Difficile est tamen hic remis utaris an aura,
  Dícere, consilium resque locusque dabunt.
Si póteris vacuo tradi, si cuncta videbis
  Mitia, si vires frégerit ira suas;
Si quis erit qui te dubitantem et adire timentem
  Tradat, et ante tamen pauca loquatur, adi.
Luce bona dominoque tuo felicior ipse
  Pervenias illuc, et mala nostra leves.
Namque ea, vel nemo, vel qui mihi vúlnera fecit,
  Solus Achilléo tóllere more potest.
Tantum ne noceas, dum vis prodesse, videto;
  Nam spes est ánimi nostra timore minor.
Quæque quiescebat, ne mota resæviat ira,
  Et pœnæ tu sis áltera causa, cave.
Quum tamen in nostrum fúeris penetrale receptus,
  Contigerisque tuam scrinia curva domum;
Adspicies illic pósitos ex órdine fratres,
  Quos studium cunctos evigilavit idem.
Cáetera turba palam títulos ostendet apertos,
  Et sua detecta nómina fronte geret.
Tres procul obscura latilantes parte videbis,
  Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.
Hos tu vel fugias; vel, si satis oris habebis,
  ÓEdipodas fácito Telegonosque voces.

Deque tribus moneo, si qua est tibi cura parentis,
Ne quemquam, quamvis ipse docebit, ames.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volúmina formæ,
Nuper ab exsequiis cármina rapta meis:
His mando dicas, inter mutata referri
Fortunæ vultum córpora posse meæ.
Namque ea dissímilis súbito est effecta priori:
Fléndaque nunc, áliquo témpore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, si quæris, habebam;
Sed vereor tardæ causa fuisse moræ.
Quod si quæ subeunt tecum, liber, omnia ferres;
Sárcina laturo magna futurus eras.
Longa via est; própera: nobis habitábitur orbis
Últimus, a terra terra remota mea.

ELEGIA III.

Qu*u*m subit illius trist*í*ssima noctis imago,
Qu*æ* mihi suprem*u*m tempus in *u*rbe fu*i*t;
Qu*u*m répeto noctem, qua t*o*t mihi c*a*ra reliqui;
L*á*bitur *e*x ócul*i*s n*u*nc quoque g*u*tta me*i*s.
J*a*m prope l*u*x áderat, qua me disc*é*dere Cæsar
F*í*nibus extrem*æ* j*ú*sserat *A*usoni*æ*.
Nec mens n*e*c spati*u*m f*ú*er*a*nt satis *a*pta parandi:
T*o*rpúerant long*a* péctora nostra mora.
N*o*n mihi servor*u*m, cómitis non c*u*ra legendi:
Non apt*æ* prófug*o* vestis opisve fuit

Non áliter stupui, quam qui Jovis ígnibus ictus,
Vivit et est vitæ nescius ipse suæ.
Ut tamen hanc ánimo nubem dolor ipse removit,
Et tandem sensus convaluere mei;
Ádloquor extremum mœstos abiturus amicos,
Qui modo de multis unus et alter erant.
Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
Imbre per indignas usque cadente genas.
Nata procul Líbycis áberat diversa sub oris,
Nec póterat fati certior esse mei.
Quocumque adspíceres, luctus gemitusque sonabant:
Fórmaque non táciti fúneris intus erat.
Fémina, virque, meo pueri quoque fúnere mœrent;
Inque domo lácrymas ángulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvo grándibus uti,
Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.
Jamque quiescebant voces hominumque canumqne,
Lúnaque nocturnos alta regebat equos:
Hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere lari;
«Númina vicinis habitantia sédibus, inquam,
Jamque óculis nunquam templa videnda meis,
Dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini;
Este salutati tempus in omne mihi.
Et quamquam sero clypeum post vúlnera sumo,
Áttamen hanc odiis exonerate fugam:
Cœlestique viro, quis me decéperit error
Dícite: pro culpa ne scelus esse putet.
Ut, quod vos scitis, pœnæ quoque sentiat auctor:
Placato possum non miser esse deo.»

H*ac* prece adorav*i* súper*o*s ego, pl*ú*ribus uxor,
  Singult*u* medi*o*s pr*æ*pediente sonos.
*I*lla etiam *a*nte lares passis prostr*a*ta capillis
  C*ó*ntigit exstinct*o*s ore tremente focos:
M*ú*ltaque in aversos effudit v*e*rba penates,
  Pro deplorat*o* non valitura viro.
J*a*mque mor*æ* spatium nox pr*æ*cipit*a*ta negabat,
  V*é*rsaque ab *a*xe su*o* Párrhasis Arctos erat.
Qu*i*d fácerem? bland*o* patr*iæ* retin*e*bar amore:
  *Ú*ltima sed juss*æ* nox erat illa fugæ.
*A*h! quoti*e*s áliquo dix*i* proper*a*nte, «Quid urges?
  Vel quo festin*e*s ire, vel unde, vide.»
*A*h! quoties certam me sum ment*i*tus habere
  Horam: pr*o*pósit*æ* quæ foret apta viae.
Ter lim*e*n tétigi; ter s*u*m revocatus, et ipse
  Indulg*e*ns ánim*o* pes mihi tardus erat.
S*æ*pe vale dicto, rursus sum m*u*lta locutus,
  *E*t quasi disced*e*ns óscula summa dedi.
S*æ*pe éadem mand*a*ta dedi: meque *i*pse fefelli
  R*e*spici*e*ns óculi*s* pígnora cara meis.
D*é*nique «Qu*i*d própero? Scythia est, quo m*í*ttimur, [inquam:
  R*o*ma relinquenda *e*st: útraque justa mora est.
*U*xor in æternum viv*o* mihi v*i*va negatur:
  *E*t domus, et fidæ dulcia membra domus.
Qu*o*sque ego dilexi fraterno m*o*re sodales,
  O mihi Thesé*a* péctora juncta fide!
D*u*m licet, amplectar: nunquam fort*a*sse licebit
  *A*mplius; in lucr*o* quæ datur hora mihi.»
N*e*c mora; sermonis verba imperf*e*cta relinquo,
  Amplect*e*ns ánim*o* próxima quæque meo.

D*u*m loquor, et flemus; cœl*o* nitid*í*ssimus alto
  St*e*lla gravis nob*is*, lúcifer ortus erat.
D*í*vidor h*au*d áliter, quam s*i* mea m*e*mbra relinquam:
  Et pars abrump*i* córpore visa suo est.
S*i*c Met*iu*s doluit, tunc quum in contr*a*ria versos
  Ultor*e*s habu*i*t proditionis equos.
Tum vero *e*xóritur clam*o*r gemit*u*sque meorum,
  *E*t feriunt mœst*æ* péctora nuda manus.
Tum vero conj*u*x húmer*i*s abe*u*ntis inhærens
  M*i*scuit h*æ*c lácrym*i*s tristia dicta suis:
«N*o*n potes avell*i*; simul *a*h! simul *í*bimus inquit,
  T*e* sequar, et conj*u*x éxsulis exsul ero.
*E*t mihi f*a*cta via est: et m*e* capit *ú*ltima tellus:
  Acced*a*m prófug*æ* sárcina parva rati.
T*e* jubet *e* patria disc*é*dere C*æ*saris ira:
  M*e* píet*a*s; píet*a*s hæc mihi Cæsar erit.»
T*a*lia tentabat: sic et tent*á*verat ante:
  V*i*xque dedit vict*a*s utilitate manus.
*E*gredior, sive *i*llud er*a*t sine f*ú*nere ferri,
  Squ*á*llidus immiss*i*s hirta per ora comis.
*I*lla dolore me*i*, ténebris narr*a*tur obortis
  S*e*miánim*i*s medi*a* procubuisse domo.
*U*tque resurrexit, fœdatis p*ú*lvere turpi
  Cr*í*nibus, *e*t gélid*a* membra levavit humo;
S*e* modo, desert*o*s modo complor*a*sse penates,
  N*o*men et erept*i* sæpe vocasse viri:
N*e*c gemu*i*sse minus, quam si nat*æ*ve meumve
  Vidisset struct*o*s corpus habere rogos:
*E*t volu*i*sse mori; moriendo p*ó*nere sensus;
  Respect*u*que tamen non posuisse mei.
V*i*vat, et absent*e*m, quoniam sic f*a*ta tulerunt,
  V*i*vat, et *au*xili*o* súblevet usque suo!

METAMORPHOSES

CREACIÓN Y DILUVIO

In nova fert ánimus mutatas dícere formas
Córpora. Di, cœptis (nam vos mutastis), et illac
Adspirate meis, primaque ab orígine mundi
Ad mea perpetuum dedúcite témpora carmen
I. Ante mare et teras et quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigéstaque moles;
Nec quidquam, nisi pondus iners; congéstaque eodem
Non bene junctarum discordia sémina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lúmina Titan;
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe;
Nec circumfuso pendebat in áere tellus
Pondéribus librata suis: nec brachia longo
Márgine terrarum porréxerat Amphitrite;
Quaque fuit tellus, illic et pontus et aer,
Sic erat instábilis tellus, innábilis unda,
Lucis egens aer; nulli sua forma manebat,
Obstabatque aliis aliud: quia córpore in uno
Frígida pugnabant cálidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine póndere habentia pondus.
Hanc deus et melior litem natura diremit:
Nam cœlo terras et terris ábscidit undas, 22
Et líquidum spisso secrevit ab áere cœlum.
Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis et sine póndere cœli

Emicuit, summaque locum sibi legit in arce:
Próximus est aer illi levitate, locoque:
Densior his tellus, eleméntaque grandia traxit;
Et pressa est gravitate sui: circumfluus humor
Última possedit, solidumque coercuit orbem.

Sic ubi dispósitam, quisquis fuit ille deorum
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit;
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffundi, rabidisque tuméscere ventis
Jussit, et ámbitæ circúmdare lítora terræ.
Áddidit et fontes, imménsaque stagna, lacusque;
Flumínaque obliquis cinxit declivia ripis,
Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsa,
In mare perveniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis litora pulsant.
Jussit et extendi campos, subsídere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos súrgere montes.
Utque duæ dextra cœlum, totidemque sinistra
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis;
Sic onus inclusum número distinxit eodem
Cura dei; totidemque plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media est, non est habitábilis æstu;
Nix tegit alta duas; tótidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit, mixta cum frígore flamma.
Ímminet his aer, qui, quanto est póndere terræ
Pondus aquæ levius, tanto est onerosior igni.
Illic et nébulas, illic consístere nubes
Jussit, et humanas motura tonitrua mentes;
Et cum fulmínibus facientes frígora ventos.

His quoque non passim mundi fabricator habendum
Áera permisit: vix nunc obsístitur illis,
Quum sua quisque regant diverso flámina tractu,
Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.
Eurus ad auroram, Nabatáeaque regna recessit,
Persídaque, et radiis juga súbdita matutinis:
Vesper, et occiduo quæ lítora sole tepescunt,
Próxima sunt zéphyro: Scythiam septemquetrionem
Hórrifer invasit boreas: contraria tellus
Núbibus adsiduis, pluvioque madescit ab austro.
Hæc super imposuit líquidum, et gravitate carentem,
Áethera, nec quidquam terrenæ fæcis habentem. 68
Vix ea limítibus dissépserat omnia certis,
Quum, quæ pressa diu massa latuere sub illa,
Sídera cœperunt toto effervéscere cœlo.
Neu regio foret ulla suis animántibus orba,
Astra tenent cœleste solum, formæque deorum;
Cesserunt nítidis habitandæ píscibus undæ:
Terra feras cepit: vólucres agitábilis aer.
Sanctius his ánimal, mentisque capacius altæ
Déerat adhuc, et quod dominari in cétera posset.
Natus homo est; sive hunc divino sémine fecit
Ille ópifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, sedúctaque nuper ab alto
Áethere, cognati retinebat sémina cœli.
Quam satus Iápeto, mixtam fluviálibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum;
Prónaque quum spectent animalia cétera terram,
Os hómini sublime dedit, cælumque tueri
Jussit, et erectos ad sídera tóllere vultus.

Sic, modo quæ fúerat rudis et sine imágine tellus,
Induit ignotas hóminum conversa figuras.
II. Aurea prima sata est ætas, quæ, víndice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
Pœna metusque áberant; nec verba minacia fixo
Ære legebantur; nec supplex turba timebat
Júdicis ora sui: sed erant sine júdice tuti.
Nondum cæsa suis, peregrinum ut víseret orbem,
Móntibus, in líquidas pinus descénderat undas;
Núllaque mortales, præter sua, lítora norant.
Nondum præcípites cingebant óppida fossæ;
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis, erant: sine mílitis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia voméribus per se dabat omnia tellus;
Contentique cibis, nullo cogente, creatis,
Arbuteos fœtus, montánaque fraga legebant,
Córnaque, et in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ decíderant pátula Jovis árbore glandes.
Ver erat æternum, placidique tepéntibus auris
Mulcebant zéphyri natos sine sémine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat;
Nec renovatus ager grávidis canebat aristis.
Flúmina jam lactis, jam flúmina néctaris ibant;
Flávaque de víridi stillabant ílice mella. 112
Postquam, Saturno tenébrosa in tártara misso,
Sub Jove mundus erat, subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.
Júpiter antiquí contraxit témpora veris;

Perque híemes, æstusque, et inæquales autumnos,
Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.
Tum primum siccis aer fervóribus ustus
Canduit; et ventis glacies adstricta pependit.
Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt,
Et densi frútices, et vinctæ córtice virgæ.
Sémina tum primum longis cerealia sulcis
Óbruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.
Tertia post illas successit ahenea proles,
Sævior ingeniis, et ad hórrida promptior arma;
Nec scelerata tamen: de duro est última ferro.
Prótinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque;
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, et vis, et amor sceleratus habendi.
Vela dabant ventis, nec adhuc bene nóverat illos
Návita; quæque diu stéterant in móntibus altis,
Flúctibus ignotis insultavere carinæ,
Communemque prius, ceu lúmina solis et auras,
Cautus humum longo signavit límite mensor.
Nec tantum ségetes aliméntaque débita dives
Poscebatur humus; sed itum est in víscera terræ;
Quasque recondíderat, Stygiisque admóverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodíerant: prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia cóncutit arma.
Vívitur ex rapto: non hospes ab hóspite tutus,
Non socer a género: fratrum quoque gratia rara est:
Ímminet exitio vir cónjugis, illa mariti;

Lúrida terríbiles miscent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa jacet pietas; et virgo cæde madentes,
Última cœlestum, terras Astræa reliquit.
III. Neve foret terris securior arduus æther,
Adfectasse ferunt regnum cœleste gigantas;
Áltaque congestos struxisse ad sídera montes.
Tum pater omnípotens misso perfregit Olympum
Fúlmine, et excussit subjecto Pelion Ossæ.
Óbruta mole sua quum córpora dira jacerent
Perfusam multo natorum sánguine terram
Incaluisse ferunt, calidumque animasse cruorem; 158
Et, ne nulla suæ stirpis monumenta manerent,
In faciem vertisse hóminum: sed et illa propago
Contemptrix súperum, sævæque avidíssima cædis,
Et violenta fuit: scires e sánguine natos.
IV. Quæ pater ut summa vidit Saturnius arce,
Íngemit; et, facto nondum vulgata recenti,
Fœda Lycaoniœ réferens convivia mensæ,
Ingentes ánimo et dignas Jove cóncipit iras;
Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos,
Est via sublimis, cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet; candore notábilis ipso.
Hac iter est súperis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum: dextra lævaque deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs hábitat diversa locis; a fronte potentes
Cœlícolæ, clarique suos posuere penates.
Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse Palatia cœli.

Ergo ubi marmoreo súperi sedere recessu,
Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno,
Terríficam cápitis concussit terque quaterque
Cæsariem, cum qua terram, mare, sídera, movit.
Tálibus inde modis ora indignantia solvit:
«Non ego pro mundi regno magis anxius illa
Tempestate fui, qua centum quisque parabant
Injícere anguípedum captivo brachia cœlo.
Nam, quamquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
Córpore, et ex una pendebat orígine bellum.
Nunc mihi, qua totum Nereus circúmtonat orbem,
Perdendum mortale genus: per flúmina juro
Ínfera, sub terras Stygio labentia luco,
Cuncta prius tentata: sed immedicábile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.
Sunt mihi semidei; sunt rústica numina, nymphæ,
Faunique, satyrique, et montícolæ silvani:
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,
Quas dédimus, certe terras habitare sinamus.
An satis, o súperi, tutos fore créditis illos,
Quum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque regoque,
Strúxerit insidias, notus feritate Lycaon?»
Confremuere omnes, studiisque ardéntibus ausum
Talia deposcunt: sic, quum manus impia sævit
Sánguine Cæsareo Romanum exstínguere nomen,
Attónitum tantæ súbito terrore ruinæ 202
Humanum genus est; totusque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minus píetas, Auguste, tuorum,
Quam fuit illa Jovi. Qui postquam voce manuque
Múrmura compressit, tenuere silentia cuncti.

Súbstitit ut clamor, pressus gravitate regentis,
Júpiter hoc íterum sermone silentia rupit:
«Ille quidem pœnas, curam hanc dimíttite, solvit;
Quod tamen admissum, quæ sit vindicta, docebo.
Contígerat nostras infamia témporis aures:
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
Et deus humana lustro sub imágine terras.
Longa mora est; quantum noxæ sit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.
Máenala transíeram, látebris horrenda ferarum,
Et cum Cyllene gélidi pineta Lycæi.
Árcados hinc sedes et inhóspita tecta tyranni
Ingredior, tráherent quum sera crepúscula noctem.
Signa dedi venisse deum; vulgusque precari
Cóeperat: irridet primo pia vota Lycaon.
Mox, ait, experiar, deus hic, discrímine aperto,
An sit mortalis; nec erit dubitábile verum.
Nocte gravem somno nec opina pérdere morte
Me parat: hæc illi placet experientia veri.
Nec contentus eo, missi de gente Molossa
Óbsidis unius júgulum mucroni resolvit:
Atque ita semíneces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.
Quos simul imposuit mensis: ego víndice flamma
In dóminum dignósque everti tecta penates.
Térritus ille fugit; nactusque silentia ruris
Exúlulat, frustraque loqui conatur: ab ipso
Cólligit os rabiem, solitæque cupídine cædis
Vértitur in pécudes: et nunc quoque sánguine gaudet.

In villos abeunt vestes, in crura lacerti:
Fit lupus, et véteris servat vestigia formæ
Canities éadem est, éadem violentia vultu;
Idem óculi lucent, éadem feritatis imago.
Occidit una domus: sed non domus una perire
Digna fuit; qua terra patet, fera regnat Érinnys;
In fácinus jurasse putes: dent ocius omnes,
Quas meruere pati (sic stat sententia) pœnas.»

Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque furenti
Adjiciunt; alii partes adsénsibus implent.
Est tamen humani géneris jactura dolori
Ómnibus: et, quæ sit terræ, mortálibus orbæ,
Forma futura, rogant? quis sit laturus in aras 248
Tura? ferisne paret populandas trádere terras?
Talia quærentes (sibi enim fore cétera curæ)
Rex súperum trepidare vetat, sobolemque priori
Dissímilem pópulo promittit orígine mira.

V. Jamque erat in totas sparsurus fúlmina terras;
Sed timuit, ne forte sacer tot ab ígnibus æther
Concíperet flammas, longusque ardésceret axis.
Esse quoque in fatis reminíscitur, ádfore tempus,
Quo mare, quo tellus, corréptaque regia cæli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.
Tela reponuntur, mánibus fabricata cyclopum:
Pœna placet diversa, genus mortale sub undis
Pérdere, et ex omni nimbos demíttere cælo.
Prótinus Æoliis aquilonem claudit in antris,
Et quæcumque fugant inductas flámina nubes;
Emittitque notum: mádidis notus évolat alis,
Terríbilem picea tectus calígine vultum:

Barba gravis nimbis; canis fluit unda capillis;
Fronte sedent nébulæ; rorant pennæque, sinusque:
Utque manu lata pendentia núbila pressit,
Fit fragor; hinc densi funduntur ab áethere nimbi.
Nuntia Junonis varios induta colores,
Cóncipit Iris aquas, aliméntaque núbibus adfert.
Sternuntur ségetes, et deplorata coloni
Vota jacent, longique labor perit írritus anni.
Nec cælo contenta suo Jovis ira; sed illum
Cæruleus frater juvat auxiliáribus undis.
Cónvocat hic amnes; qui postquam tecta tyranni
Intravere sui, «Non est hortámine longo
Nunc, ait, utendum; vires effúndite vestras.
Sic opus est; aperite domos, ac, mole remota,
Fluminibus vestris totas immíttite habenas.»
Jússerat: hi redeunt, ac fóntibus ora relaxant,
Et defrenato volvuntur in áequora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit: at illa
Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum.
Exspatiata ruunt per apertos flúmina campos;
Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
Téctaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit, potuitque resístere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Unda tegit, pressæque labant sub gúrgite turres.
Jamque mare et tellus nullum discrimen habebant.
Omnia pontus erant; déerant quoque lítora ponto.
Occupat hic collem: cymba sedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat. 294
Ille supra ségetes, aut mersæ cúlmina villæ,
Návigat; hic summa piscem deprendit in ulmo.

Fígitur in víridi, si fors tulit, áncora prato;
Aut subjecta terunt curvæ vineta carinæ.
Et, modo qua gráciles gramen carpsere capellæ,
Nunc ibi deformes pónunt sua córpora phocæ.
Mirantur, sub aqua lucos, urbesque, domosque
Neréides; silvasque tenent delphines, et altis
Incursant ramis, agitátaque róbora pulsant.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones;
Unda vehit tigres: nec vires fúlminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia cervo;
Quæsitisque diu terris, ubi sídere detur,
In mare lassatis vólucris vaga décidit alis.
Obrúerat túmulos immensa licentia ponti,
Pulsabantque novi montana cacúmina fluctus.
Máxima pars unda rápitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant ínopi jejunia victu.

Séparat Aonios Actæis Phocis ab arvis,
Terra ferax, dum terra fuit; sed témpore in illo
Pars maris, et latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi vertícibus petit arduus astra duobus;
Nómine Parnasus, superatque cacúmine nubes.
Hic ubi Deucalion, nam cétera téxerat æquor,
Cum consorte tori parva rate vectus adhæsit;
Corícidas nymphas, et númina montis adorant.
Fatidicamque Themin, quæ nunc oracla tenebat.
Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa metuentior ulla deorum.
Júpiter, ut líquidis stagnare palúdibus orbem,
Et superesse videt de tot modo míllibus unum,
Et superesse videt de tot modo míllibus unam,

Innocuos ambos, cultores núminis ambos;
Núbila disjecit, nimbisque aquilone remotis,
Et cælo terras ostendit, et áethera terris.
Nec maris ira manet; positoque tricúspide telo
Mulcet aquas rector pélagi: supraque profundum
Exstantem, atque húmeros innato múrice tectum,
Cæruleum Tritona vocat, conchæque sonaci
Inspirare jubet; fluctusque et flúmina signo
Jam revocare dato: cava búccina súmitur illi
Tórtilis, in latum quæ túrbine crescit ab imo:
Búccina, quæ medio concepit ut áera ponto,
Lítora voce replet, sub utroque jacentia phœbo. 553
Tum quoque, ut ora dei mádida rorantia barba
Cóntigit, et cécinit jussos inflata receptus,
Omnibus audita est telluris et áequoris undis;
Et quibus est undis audita, coercuit omnes.
Jam mare litus habet; plenos capit alveus amnes;
Flúmina subsidunt; colles exire videntur;
Surgit humus; crescunt loca decrescéntibus undis:
Postque diem longam nudata cacúmina silvæ
Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.
Rédditus orbis erat: quem postquam vidit inanem,
Et desolatas ágere alta silentia terras,
Deucalion, lácrymis ita Pyhrram adfatur obortis:
« O soror, o conjux, o fémina sola superstes,
Quam commune mihi genus, et patruelis origo,
Deinde torus junxit; nunc ipsa perícula jungunt:
Terrarum, quascumque vident occasus et ortus,
Nos duo turba sumus: possedit cétera pontus.
Nunc quoque adhuc vitæ non est fiducia nostræ

Certa satis: terrent etiamnum núbila mentem.
Quid tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
Nunc ánimi, miseranda, foret? quo sola timorem
Ferre modo posses? quo consolante doleres?
Namque ego, crede mihi, si te modo pontus haberet,
Te séquerer, conjux: et me quoque pontus haberet.
O útinam possim pópulos reparare paternis
Ártibus, atque ánimas formatæ infúndere terræ!
Nunc genus in nobis restat mortale duobus,
Sic visum súperis, hominumque exempla manemus.»
Díxerat, et flebant: placuit cæleste precari
Numen, et auxilium per sacras quáerere sortes.
Nulla mora est; adeunt páriter Cephísidas undas,
Ut nondum líquidas, sic jam vada nota secantes.
Inde, ubi libatos irroravere liquores
Véstibus et cápiti, flectunt vestigia sanctæ
Ad delubra deæ: quorum fastigia turpi
Squalebant musco; stabantque sine ígnibus aræ.
Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit óscula saxo.
Atque ita, «Si précibus, dixerunt, númina justis
» Victa remollescunt, si fléctitur ira deorum,
» Dic, Themi, qua géneris damnum reparábile nostri
» Arte sit? et mersis fer opem, mitíssima, rebus.»
Mota dea est; sortemque dedit: «Discédite templo;
» Et velate caput, cinctasque resólvite vestes;
» Ossaque post tergum magnæ jactate parentis.»
Obstupuere diu, rumpitque silentia voce 581
Pyrrha prior, jussisque deæ parere recusat:
Detque sibi veniam, pávido rogat ore; pavetque

Láedere jactatis maternas óssibus umbras.
Interea répetunt cæcis obscura latebris
Verba datæ sortis secum, inter seque volutant.
Inde Promethides plácidis Epiméthida dictis
Mulcet; et, «Aut fallax, ait, est solertia nobis,
Aut pia sunt, nullumque nefas orácula suadent.
Magna parens terra est: lápides in córpore terræ
Ossa reor dici; jácere hos post terga jubemur.»
Cónjugis augurio quanquam Titania mota est,
Spes tamen in dubio est; adeo cæléstibus ambo
Diffidunt mónitis! Sed quid tentare nocebit?
Discedunt, velantque caput, tunicasque recingunt;
Et jussos lápides sua post vestigia mittunt.
Saxa, (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
Pónere duritiem cœpere suumque rigorem,
Mollirique mora, mollítaque dúcere formam.
Mox, ubi creverunt, natúraque mitior illis
Cóntigit, ut quædam, sic non manifesta, videri
Forma potest hóminis; sed uti de mármore cœpto
Non exacta satis, rudibusque simíllima signis.
Quæ tamen ex illis áliquo pars húmida succo,
Et terrena fuit, versa est in córporis usum:
Quod sólidum est, flectique nequit, mutatur in ossa:
Quod modo vena fuit, sub eodem nómine mansit.
Inque brevi spatio, superorum númine, saxa
Missa viri mánibus faciem traxere virilem:
Et de femineo reparata est fémina jactu.
Inde genus durum sumus, experiensque laborum;
Et documenta damus, qua simus orígine nati.
VI. Cétera diversis tellus animalia formis

Sponte sua péperit; postquam vetus humor ab igne
Percaluit solis, cœnumque udæque paludes
Intumuere æstu; fecúndaque sémina rerum,
Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo
Creverunt, faciemque áliquam cepere morando.
Sic ubi deseruit mádidos septemfluus agros
Nilus, et antiquo sua flúmina réddidit alveo,
Ætherioque recens exarsit sídere limus;
Plúrima cultores versis animalia glebis
Inveniunt; et in his quædam modo cœpta, sub ipsum
Nascendi spatium; quædam imperfecta, suisque
Trunca vident númeris: et eodem in córpore sæpe 428
Áltera pars vivit, rudis est pars áltera tellus.
Quippe, ubi temperiem sumpsere humorque calorque,
Concipiunt; et ab his oriuntur cuncta duobus:
Quumque sit ignis aquæ pugnax; vapor húmidus omnes
Res creat, et discors concordia fóetibus apta est.
Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Sólibus ætheriis, altoque recanduit æstu;
Édidit innúmeras species; partimque figuras
Réttulit antiquas; partim nova monstra creavit.
Illa quidem nollet, sed te quoque, máxime Python,
Tum genuit; populisque novis, incógnita serpens,
Terror eras: tantum spatii de monte tenebas!
Hanc deus arcitenens, et nunquam tálibus armis
Ante, nisi in damis capreisque fugácibus, usus,
Mille gravem telis, exhausta pæne pharetra,
Pérdidit, effuso per vúlnera nigra veneno.
Neve óperis famam possit delere vetustas,
Instituit sacros célebri certámine ludos,

Pythia de dómitæ serpentis nómine dictos.
His júvenum quicumque manu, pedibusve, rotave
Vícerat, æsculeœ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat; longoque decentia crine
Témpora cingebat de quálibet árbore Phœbus.

FAETÓN

(2,1-325)

Regia solis erat sublímibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo;
Cujus ebur nítidum fastigia summa tenebat;
Argenti bífores radiabant lúmine valvæ.
Materiem superabat opus: nam Múlciber illic
Áequora cælarat, medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, cælumque, quod ímminet orbi.
Cæruleos habet unda deos: Tritona canorum,
Protéaque ambiguum, balænarumque prementem
Ægæona suis immania terga lacertis,
Dorídaque, et natas: quarum pars nare videtur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos;
Pisce vehi quædam: facies non ómnibus una,
Nec diversa tamen; qualem decet esse sororum.
Terra viros, urbesque gerit, silvasque, ferasque,
Flúminaque, et nymphas, et cáetera númina ruris.
Hæc super impósita est cæli fulgentis imago;
Sígnaque sex fóribus dextris, totidemque sinistris.
Quo simul acclivo Clymeneia límite proles
Venit, et intravit dubitati tecta parentis;

Prótinus ad patrios sua fert vestigia vultus;
Consistitque procul: neque enim propiora ferebat
Lúmina. Purpurea velatus veste sedebat
In solio Phœbus, claris lucente smaragdis.
A dextra lævaque, Dies, et Mensis, et Annus,
Secúlaque, et pósitæ spatiis æquálibus Horæ:
Verque novum stabat, cinctum florente corona:
Stabat nuda Æstas, et spicea serta gerebat:
Stabat et Autumnus, calcatis sórdidus uvis;
Et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos.
Inde loco medius, rerum novitate paventem
Sol óculis júvenem, quibus ádspicit omnia, vidit.
« Quæque viæ tibi causa? quid hac, ait, arce petisti,
Progenies, Pháethon, haud infitianda parenti? » 34
Ille refert: « O lux immensi pública mundi,
Phœbe pater, si das hujus mihi nóminis usum,
Nec falsa Clymene culpam sub imágine celat;
Pígnora da, génitor, per quæ tua vera propago
Credar; et hunc ánimis errorem détrahe nostris. »
Díxerat. At génitor circum caput omme micantes
Deposuit radios, propiusque accédere jussit:
Amplexuque dato, « Nec tu meus esse negari
Dignus es; et Clymene veros, ait, édidit ortus.
Quoque minus dúbites, quodvis pete munus, ut illud,
Me tribuente, feras: promissis testis adesto
Dis juranda palus, óculis incógnita nostris. »
Vix bene desíerat: currus rogat ille patérnos,
Inque diem alípedum jus et moderamen equorum.
Pœnituit jurasse patrem, qui terque quaterque
Concutiens illustre caput, « Temeraria, dixit,

Vox mea facta tua est: útinam promissa liceret
Non dare! confiteor, solum hoc tibi, nate, negarem.
Dissuadere licet: non est tua tuta voluntas.
Magna petis, Pháethon, et quæ nec víribus istis
Múnera conveniant, nec tam puerílibus annis.
Sors tua mortalis: non est mortale quod optas.
Plus etiam, quam quod súperis contíngere fas sit,
Nescius adfectas: placeat sibi quisque licebit,
Non tamen ignífero quisquam consístere in axe
Me valet excepto: vasti quoque rector olympi,
Qui fera terríbili jaculatur fúlmina dextra,
Non agat hos currus: et quid Jove majus habemus?
Ardua prima via est; et qua vix mane recentes
Enitantur equi, medio est altíssima cœlo;
Unde mare et terras ipsi mihi sæpe videre
Fit timor, et pávida trépidat formídine pectus:
Última prona via est, et eget moderámine certo.
Tunc etiam, quæ me subjectis éxcipit undis,
Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa vereri.
Adde, quod adsidua rápitur vertígine cælum,
Sidéraque alta trahit, celerique volúmine torquet.
Nitor in adversum: nec me, qui cétera, vincit
Ímpetus: et rápido contrarius évehor orbi.
Finge datos currus: quid agas? poterisne rotatis
Obvius ire polis, ne te citus áuferat axis?
Fórsitan et lucos illic, urbesque, domosque
Concipias ánimo, delúbraque ditia donis
Esse: per insidias iter est, formásque ferarum. 78
Utque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen adversi gradieris cornua Tauri,

Hæmonios arcus, violentique ora Leonis,
Sáevaque circúitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque áliter curvantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrúpedes animosos ígnibus illis,
Quos in péctore habent, quos ore et náribus efflant,
In promptu régere est: vix me patiuntur, ut acres
Incaluere ánimi; cervixque repugnat habenis.
At tu, funesti ne sim tibi múneris auctor
Nate, cave; dum resque sinit, tua córrige vota.
Scílicet, ut nostro génitum te sánguine credas,
Pígnora certa petis: do pígnora certa timendo;
Et patrio pater esse metu probor: ádspice vultus
Ecce meos; utinamque óculos in péctora posses
Insérere, et patrias intus depréndere curas!
Dénique, quidquid habet dives, circúmspice, mundus;
Eque tot ac tantis cæli, terræque, marisque
Posce bonis áliquid; nullam patiere repulsam.
Déprecor hoc unum; quod vero nómine pœna,
Non honor est: pœnam, Pháethon, pro múnere, poscis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dúbita, dábitur, Stygias jurávimus undas,
Quodcumque optaris: sed tu sapientius opta. »
Finíerat mónitus: dictis tamen illi repugnat,
Propositumque tenet; flagratque cupídine currus.
Ergo, qua licuit, génitor cunctatus, ad altos
Deducit júvenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.
Per juga chrysólithi, positæque ex órdine gemmæ,
Clara repercusso reddebant lúmina phœbo.

Dumque ea magnánimus Pháethon miratur, opusque
Pérspicit; ecce vigil rútilo patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, et plena rosarum
Atria: diffugiunt stellæ; quarum ágmina cogit
Lúcifer, et cæli statione novíssimus exit.
At pater, ut terras, mundumque rubéscere vidit,
Cornúaque extremæ velut evanéscere lunæ,
Júngere equos titan velócibus ímperat Horis.
Jussa deæ céleres péragunt; ignemque vomentes,
Ambrosiæ succo sáturos, præsépibus altis
Quadrúpedes ducunt; adduntque sonantia frena.
Tum pater ora sui sacro medicámine nati 122
Cóntigit; et rápidæ fecit patientia flammæ;
Imposuitque comæ radios, præságaque luctus
Péctore sollícito répetens suspiria, dixit;
« Si potes hic saltem mónitis parere paternis:
Parce, puer, stímulis, et fortius útere loris.
Sponte sua próperant: labor est inhibere volantes:
Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.
Sectus in obliquum est lato curvámine limes,
Zonarumque trium contentus fine; polumque
Effúgito australem, junctamque aquilónibus Arcton.
Hac fit iter; manifesta rotæ vestigia cernes.
Utque ferant æquos et cælum et terra calores,
Nec preme, nec summum molire per áethera currum.
Altius egressus, cœlestia tecta cremabis;
Inferius, terras: medio tutíssimus ibis.
Neu te dexterior tortum declinet in Anguem,
Neve sinisterior pressam rota ducat ad Aram;
Inter utrumque tene: fortunæ cétera mando;

Quæ juvet, et melius, quam tu tibi, cónsulat, opto.
Dum loquor, Hesperio pósitas in lítore metas
Húmida nox tétigit: non est mora líbera nobis·
Póscimur: effulget ténebris Aurora fugatis.
Córripe lora manu: vel, si mutábile pectus
Et tibi, consiliis, non cúrribus, útere nostris,
Dum potes, et sólidis etiamnum sédibus adstas;
Dumque male optatos, nondum premis inscius axes,
Quæ tutus spectes, sine me dare lúmina terris. »
Óccupat illi levem juvenili córpore currum;
Statque super; manibusque datas contíngere habenas
Gaudet; et invito grates agit inde parenti.
Interea vólucres Pyroeis, Eóus, et Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnítibus auras
Flammíferis implent, pedibusque repágula pulsant.
Quæ postquam Tethys, fatorum ignara nepotis,
Réppulit, et facta est immensi copia mundi,
Corripuere viam, pedibusque per áera motis
Obstantes findunt nébulas, pennisque levati
Prætereunt ortos isdem de pártibus euros.
Sed leve pondus erat; nec quod cognóscere possent
Solis equi; solitaque jugum gravitate carebat.
Utque labant curvæ justo sine póndere naves,
Perque mare instábiles nimia levitate feruntur;
Sic ónere insueto vacuos dat in áera saltus.
Succutiturque alte, similisque est currus inani.
Quod simul ac sensere, ruunt, tritumque relinquunt
Quadríjugi spatium, nec, quo prius, órdine currunt.
Ipse pavet; nec qua commissas flectat habenas,
Nec scit qua sit iter; nec, si sciat, ímperet illis.

Tum primum radiis gélidi caluere Triones,
Et vétito frustra tentarunt áequore tingui.
Quæque polo pósita est glaciali próxima serpens,
Frígore pigra prius, nec formidábilis ulli,
Incáluit; sumsitque novas fervóribus iras.
Te quoque turbatum mémorant fugisse, Boote,
Quamvis tardus eras, et te tua plaustra tenebant.
Ut vero summo despexit ab áethere terras
Infelix Pháethon, pénitus penitusque jacentes;
Palluit, et súbito genua intremuere timore;
Suntque óculis ténebræ per tantum lumen obortæ.
Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos;
Jamque agnosse genus piget, et valuisse rogando:
Jam Méropis dici cupiens, ita fertur, ut acta
Præcípiti pinus borea, cui victa remisit
Frena suus rector, quam dis, votisque reliquit.
Quid faciat? multum cæli post terga relictum;
Ante óculos plus est; ánimo metitur utrumque.
Et modo, quos illi fato contíngere non est,
Próspicit occasus: interdum réspicit ortus;
Quidque agat ignarus, stupet; et nec frena remittit,
Nec retinere valet; nec nómina novit equorum.
Sparsa quoque in vario passim mirácula cælo,
Vastarumque videt trépidus simulacra ferarum.
Est locus, in géminos ubi brachia cóncavat arcus
Scorpios; et cauda flexisque utrimque lacertis,
Pórrigit in spatium signorum membra duorum.
Hunc puer ut nigri mádidum sudore veneni
Vúlnera curvata minitantem cúspide vidit;
Mentis inops, gélida formídine lora remisit.

Quæ postquam summum tetigere jacentia tergum,
Exspatiantur equi; nulloque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt; quaque ímpetus egit,
Hac sine lege ruunt; altoque sub áethere fixis
Incursant stellis, rapiuntque per avia currum:
Et modo summa petunt, modo per decliva viasque
Præcípites spatio terræ propiore feruntur:
Inferiusque suis fraternos cúrrere luna
Admiratur equos; ambústaque núbila fumant.
Corrípitur flammis, ut quæque altíssima, tellus;
Físsaque agit rimas, et succis aret ademtis.
Pábula canescunt; cum fróndibus úritur arbos;
Materiamque suo præbet seges árida damno.
Parva queror; magnæ pereunt cum móenibus urbes;
Cumque suis totas pópulis incendia gentes
In cínerem vertunt: silvæ cum móntibus ardent.
Ardet Athos, Taurusque Cilix, et Tmolus, et Œte
Et nunc sicca, prius celebérrima fóntibus, Ide;
Virgineusque Hélicon, et nondum Œagrius Hæmos.
Ardet in immensum geminatis ígnibus Ætne,
Parnassusque biceps, et Eryx, et Cinthus, et Otbrys,
Et tandem Rhódope nívibus caritura, Mimasque,
Dindymaque, et Mycale, natusque ad sacra Cithæron.
Nec prosunt Scythiæ sua frígora: Cáucasus ardet,
Óssaque cum Pindo, majorque ambobus Olympus;
Aeriæque Alpes, et núbifer Apenninus.
Tunc vero Pháethon cunctis e pártibus orbem
Ádspicit accensum; nec tantos sústinet æstus:
Ferventesque auras, velut e fornace profunda,
Ore trahit, currusque suos candéscere sentit.

Et neque jam cíneres, ejectatamque favillam
Ferre potest; calidoque invólvitur úndique fumo;
Quoque eat, aut ubi sit, picea calígine tectus,
Nescit; et arbitrio vólucrum raptatur equorum.
Sánguine tum credunt in córpora summa vocato,
Æthíopum pópulos nigrum traxisse colorem.
Tum facta est Libye, raptis humóribus æstu,
Árida; tum nymphæ passis fontesque, lacusque
Deflevere comis: quærit Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Éphyre Pirénidas undas.
Nec sortita loco distantes flúmina ripas
Tuta manent: mediis Tanais fumavit in undis,
Peneosque senex, Teuthranteusque Caicus,
Et celer Ismenos, cum Phocaico Erymantho,
Arsurusque íterum Xanthus, flavusque Lycormas,
Quique recurvatis ludit Mæandros in undis;
Mygdoniusque Melas, et Tænarius Eurotas.
Arsit et Euphrates Babylonius; arsit Orontes,
Thermodonque citus, Gangesque, et Phasis, et Ister;
Æstuat Alpheos; ripæ Sperchéides ardent;
Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ígnibus, aurum:
Et quæ Mæonias celebrarant cármine ripas,
Flumineæ vólucres medio caluere Caystro.
Nilus in extremum fugit pertérritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet: ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flúmine valles.
Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,
Hesperiosque amnes, Rhenum, Rhodanumque Padum-
Cuique fuit rerum promissa potentia, Thybrin. [que,
Díssilit omne solum; penetratque in tártara rimis

Lumen, et infernum terrèt cum cónjuge regem.
Et mare contráhitur; siccæque est campus arenæ,
Quod modo pontus erat; quosque altum téxerat æquor,
Exsistunt montes, et sparsas Cycladas augent.
Ima petunt pisces; nec se super áequora curvi
Tóllere consuetas audent delphines in auras.
Córpora phocarum summo resupina profundo
Exanimata jacent: ipsum quoque Nerea fama est,
Dóridaque, et natas, tépidis latuisse sub antris.
Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exsérere ausus erat; ter non tulit áeris æstus.
Alma tamen Tellus, ut erat circúmdata ponto,
Inter aquas pélagi, contractosque úndique fontes,
Qui se condíderant in opacæ víscera matris,
Sústulit omníferos collo tenus árida vultus;
Opposuitque manum fronti; magnoque tremore
Omnia concutiens paulum subsedit; et infra,
Quam solet esse, fuit; siccaque ita voce locuta est:
« Si placet hoc, meruique, quid, o, tua fúlmina cessant,
Summe deum? liceat perituræ víribus ignis,
Igne perire tuo; clademque auctore levare.
Vix équidem fauces hæc ipsa in verba resolvo,
(Présserat ora vapor) tostos en ádspice crines,
Inque óculis tantum, tantum super ora favillæ.
Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers, quod adunci vúlnera aratri,
Rastrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quod pécori frondes, aliméntaque mitia, fruges,
Humano géneri, vobis quod tura ministro?
Sed tamen exitium fac me meruisse: quid undæ,

Quid meruit frater? cur illi trádita sorte
Áequora decrescunt, et ab áethere longius absunt?
Quod si nec fratris, nec te mea gratia tangit;
At cæli miserere tui: circúmspice utrumque; 294
Fumat uterque polus: quos si vitiáverit ignis,
Atria vestra ruent: Atlas en ipse laborat;
Vixque suis húmeris candentem sústinet axem.
Si freta, si terræ pereunt, si regia cœli:
In chaos antiquum confúndimur: éripe flammis,
Si quid adhuc súperest; et rerum cónsule summæ. »
Díxerat hæc Tellus; neque enim tolerare vaporem
Ulterius potuit, nec dícere plura; suumque
Réttulit os in se, propióraque mánibus antra.
At pater ómnipotens súperos testatus, et ipsum
Qui déderat currus, nisi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi; summam petit arduus arcem,
Unde solet latis nubes indúcere terris;
Unde movet tonitrus, vibrátaque fúlmina jactat.
Sed neque, quas posset terris indúcere nubes
Tunc habuit; nec, quos cœlo dimítteret, imbres.
Íntonat: et dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam; pariterque animaque rotisque
Éxpulit, et sævis compescuit ígnibus ignes.
Consternantur equi; et saltu in contraria facto
Colla jugo eripiunt, abrúptaque lora relinquunt.
Illic frena jacent, illic temone revulsus
Axis; in hac radii fractarum parte rotarum;
Spársaque sunt late láceri vestigia currus.
At Pháethon, rútilos flamma populante capillos,
Vólvitur iu præceps, longoque per áera tractu

Fertur; ut interdum de cælo stella sereno,
Etsi non cécidit, potuit cecidisse videri.
Quem procul a patria diverso máximus orbe
Éxcipit Erídanus, fumantíaque abluit ora.

FILEMÓN Y BAUCÍS

(8, 624 — 724)

Ante omnesque Lelex, ánimo maturus et ævo,
Sic ait: «Immensa est, finemque potentia cœli
Non habet, et quicquid súperi voluere, peractum est;
Quoque minus dúbites, tiliæ contérmina quercus
Cóllibus est Phrygiis, módico circúmdata muro.
Ipse locum vidi: nam me Pelopeia Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum, tellus habitábilis olim;
Nunc célebres mergis fulicisque palústribus undæ.
Júpiter huc, specie mortali, cumque parente
Venit Atlantíades, pósitis cadúcifer alis.
Mille domos adiere, locum requiemque petentes;
Mille domos clausere seræ: tamen una recepit,
Parva quidem, stípulis et canna tecta palustri:
Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illa sunt annis juncti juvenílibus; illa
Consenuere casa; paupertatemque fatendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert dóminos illic famulosne requiras;
Tota domus duo sunt; idem parentque jubentque.
Ergo ubi cœlícolæ parvos tetigere penates,

Submissoque húmiles intrarunt vértice postes,
Membra senex pósito jussit relevare sedili;
Quo superinjecit textum rude sédula Baucis.
Inde foco tépidum cínerem dimovit, et ignes
Súscitat hesternos; foliisque et córtice sicco
Nutrit, et ad flammas ánima producit anili;
Multifidasque faces, ramalíaque árida tecto
Détulit, et minuit, parvoque admovit aheno;
Quodque suus conjux riguo collégerat horto,
Truncat olus foliis: furca levat ille bicorni
Sórdida terga suis, nigro pendentia tigno,
Servatoque diu résecat de térgore partem
Exiguam, sectamque domat fervéntibus undis.
Interea medias fallunt sermónibus horas,
Sentirique moram próhibent: erat alveus illic 592
Fagineus, curva clavo suspensus ab ansa;
Is tépidis impletur aquis; artusque fovendos
Áccipit: in medio torus est de móllibus ulvis
Impósitus lecto, sponda pedibusque salignis:
Véstibus hunc velant, quas non nisi témpore festo
Stérnere consúerant; sed et hæc vilisque vetusque
Vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Adcubuere Dei: mensam succincta tremensque
Ponit anus; mensæ sed erat pes tertius impar;
Testa parem fecit: quæ postquam súbdita clivum
Sústulit, æquatam mentæ tersere virentes.
Pónitur hic bícolor sinceræ bacca Minervæ,
Condítaque in líquida corna autumnalia fæce,
Intúbaque, et radix, et lactis massa coacti,
Ovaque, non acri léviter versata favilla;

Omnia fictílibus: post hæc cælatus eadem
Sístitur argilla crater, fabricátaque fago
Pócula, qua cava sunt, flavéntibus íllita ceris.
Parva mora est; epulasque foci misere calentes:
Nec longæ rursus referuntur vina senectæ;
Dantque locum mensis paulum seducta secundis.
Hic nux, hix mixta est rugosis cárica palmis,
Prúnaque, et in pátulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectæ vítibus uvæ;
Cándidus in medio favus est; super omnia vultus
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.
Interea, quoties haustum cratera repleri
Sponte sua, per seque vident succréscere vina,
Attóniti novitate pavent, manibusque supinis
Concipiunt Baucisque preces, timidusque Philemon,
Et veniam dápibus, nullisque parátibus orant.
Únicus anser erat, mínimæ custodia villæ,
Quem dis hospítibus dómini mactare parabant:
Ille celer penna tardos ætate fatigat,
Eluditque diu; tandemque est visus ad ipsos
Confugisse deos. Súperi vetuere necari;
« Dîque sumus; meritasque luet vicinia pœnas
Impia, dixerunt; vobis immúnibus hujus
Esse mali dábitur; modo vestra relínquite tecta,
Ac nostros comitate gradus, et in ardua montis
Ite simul. » Parent ambo, baculisque levati
Nituntur longo vestigia pónere clivo.
Tantum áberant summo quantum semel ire sagitta
Missa potest; flexere óculos, et mersa palude
Cáetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.

Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum, 638
Illa vetus, dóminis etiam casa parva duobus,
Vértitur in templum; furcas subiere columnæ;
Strámina flavescunt, adopértaque mármore tellus,
Cælatæque fores, aurátaque tecta videntur:
Talia quum plácido Saturnius édidit ore:
« Dícite, juste senex, et fémina cónjuge justo
Digna, quid optetis. » Cum Báucide pauca locutus,
Judicium súperis áperit commune Philemon:
« Esse sacerdotes, delúbraque vestra tueri
Póscimus; et quoniam concordes égimus annos,
Áuferat hora duos éadem. nec cónjugis unquam
Busta meæ videam, neu sim tumulandus ab illa. »
Vota fides séquitur: templi tutela fuere,
Donec vita data est: annis ævoque soluti
Ante gradus sacros quum starent forte, locique
Navarent curas, frondere Philémona Baucis,
Báucida conspexit senior frondere Philemon:
Jamque super géminos crescente cacúmine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta; « Valeque,
O conjux, » dixere simul, simul ábdita texit
Ora frutex: ostendit adhuc Tyaneius illic
Incola de gémino vicinos córpore truncos.
Hæc mihi non vani, neque erat cur fállere vellent,
Narravere senes: équidem pendentia vidi
Serta super ramos; ponensque recentia, dixi:
« Cura pii dîs sunt; et qui coluere, coluntur. »

CÉIX Y HALCÍONE

(11, 410 — 748)

Interea fratrisque sui, fratremque secutis
Anxia prodigiis turbatus péctora Ceyx,
Cónsulat ut sacras, hóminum oblectámina, sortes,
Ad Clarium parat ire deum: nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Délphica Phorbas.
Consilii tamen ante sui, fidíssima, certam
Te facit, Halcyone: cui prótinus íntima frigus
Ossa receperunt, buxoque simíllimus ora
Pallor obit, lacrymisque genæ maduere profusis.
Ter conata loqui, ter flétibus ora rigavit;
Singultuque pias interrumpente querelas,
«Quæ mea culpa tuam, dixit, caríssime, mentem
Vertit? ubi est, quæ cura mei prius esse solebat?
Jam potes Halcyone securus abesse relicta;
Jam via longa placet; jam sum tibi carior absens.
At, puto, per terras iter est, tantumque dolebo;
Non etiam metuam; curæque timore carebunt.
Áequora me terrent, et ponti tristis imago:
Et láceras nuper tábulas in líttore vidi;
Et sæpe in túmulis sine córpore nómina legi.
Neve tuum fallax ánimum fiducia tangat,
Quod socer Hippótades tibi sit, qui cárcere fortes
Contineat ventos, et, quum velit áequora placet.
Quum semel emissi tenuerunt áequora venti,
Nil illis vétitum est, incommendátaque tellus
Omnis, et omne fretum: cœli quoque núbila vexant,

Excutiuntque feris rútilos concúrsibus ignes.
Quo magis hos novi, nam novi, et sæpe paterna
Parva domo vidi, magis hos reor esse timendos.
Quod tua si flecti précibus sententia nullis,
Care, potest, conjux, nimiumque es certus eundi,
Me quoque tolle simul: certe jactábimur una;
Nec, nisi quæ patiar, metuam; pariterque feremus
Quidquid erit; páriter super áequora lata feremur».
Tálibus Æólidis dictis lacrimisque movetur
Sidereus conjux; neque enim minor ignis in ipso est;
Sed neque propósitos pélagi dimíttere cursus,
Nec vult Halcyonen in partem adhibere pericli;
Múltaque respondit, tímidum solantia pectus;
Nec tamen idcirco causam probat: áddidit illis
Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem:
«Longa quidem nobis omnis mora, sed tibi juro
Per patrios ignes, si me modo fata remittent,
Ante reversurum, quam luna bis impleat orbem».
His ubi promissis spes est admota recursus,
Prótinus eductam naválibus áequore tingi,
Aptarique suis pinum jubet armamentis,
Qua rursus visa, véluti præsaga futuri,
Horruit Halcyone; lacrymasque emisit obortas;
Amplexusque dedit; tristique misérrima tandem
Ore vale dixit; collápsaque córpore tota est.
At júvenes, quærente moras Ceyce, reducunt
Ordínibus géminis ad fortia péctora remos;
Æqualique ictu scindunt freta: sústúlit illa
Humentes óculos, stantemque in puppe recurva,

Concussaque manu dantem sibi signa maritum
Prima videt, redditque notas: ubi terra recessit
Longius, atque oculi nequeunt cognóscere vultus,
Dum licet, inséquitur fugientem lúmine pinum;
Hæc quoque ut haud póterat spatio submota videri,
Vela tamen spectat summo fluitantia malo.
Ut nec vela videt, vacuum petit anxia lectum;
Seque toro ponit: renovat lectusque locusque
Halcyonæ lácrymas; et quæ pars, ádmonet, absit.
Pórtubus exíerant; et móverat aura rudentes.
Obvertit láteri pendentes návita remos;
Cornúaque in summa locat árbore, tótaque malo
Cárbasa deducit, venientesque éxcipit auras.
Aut minus, aut certe medium non amplius æquor
Puppe secabatur, longeque erat útraque tellus,
Quum mare sub noctem túmidis albéscere cœpit
Flúctibus, et præceps spirare valentius eurus,
«Ardua, jamdudum, demíttite cornua, rector
Clamat, et antennis totum subnéctite velum».
Hic jubet: impediunt adversæ jussa procellæ;
Nec sinit audiri vocem fragor áequoris ullam.
Sponte tamen próperant alii subdúcere remor;
Pars munire latus; pars ventis vela negere:
Égerit hic fluctus, æquorque refundit in æquor;
Hic rapit antennas: quæ dum sine lege geruntur,
Áspera crescit hiems, omnique e parte feroces
Bella gerunt venti, frétaqne indignantia miscent.
Ipse pavet, nec se, qui sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector, nec quid jubeatve, vetetve.
Tanta mali moles, totaque potentior arte est!

Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
Uudarum incursu gravis unda, tonítribus æther.
Flúctibus erígitur, cœlumque æquare videtur
Pontus, et inductas adspérgine tínguere nubes:
Et modo, quum fulvas ex imo verrit arenas,
Cóncolor est illis; Stygia modo nigrior unda;
Stérnitur interdum, spumisque sonántibus albet.
Ipsa qnoque his ágitur vícibus Trachinia puppis:
Et modo sublimis, véluti de vértice montis,
Despícere in valles, imumque Acheronta videtur;
Nunc, ubi demissam curvum circúmstetit æquor,
Suspícere inferno summum de gúrgite cœlum:
Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem;
Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim
Quum láceras aries ballístave cóncutit arces;
Utque solent, sumtis in cursu víribus, ire
Péctore in arma feri præténtaque tela leones.
Sic ubi se ventis admíserat unda coortis,
Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis
Jamque labant cunei, spoliátaque tégmine ceræ
Rima patet, præbetque viam letálibus undis.
Ecce cadunt largi resolutis núbibus imbres;
Inque fretum credas totum descéndere cælum;
Inque plagas cœli tumefactum adscéndere pontum.
Vela madent nimbis; et cum cœléstibus undis
Æquoreæ miscentur aquæ: caret ígnibus æther;
Cáecaque nox prémitur ténebris hiemisque suisque.
Discutiunt tamen has, præbentque micantia lumen
Fúlmina: fulmineis ardescunt ígnibus undæ.
Dat quoque jam saltus intra cava texta carinæ

Fluctus: et, ut miles, número præstantior omni,
Quum sæpe adsiluit defensæ móenibus urbis,
Spe pótitur tandem; laudisque accensus amore
Inter mille viros, murum tamen óccupat unus.
Sic ubi pulsarunt acres látera ardua fluctus,
Vastius insurgens décimæ ruit ímpetus undæ:
Nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
Quam velut in captæ descendat mœnia navis.
Par ígitur tentabat adhuc invádere pinum,
Pars maris intus erat: trépidant haud secius omnes,
Quam solet urbs, aliis murum fodiéntibus extra,
Atque aliis murum trepidare tenéntibus intus.
Déficit ars: animique cadunt; totidemque videntur,
Quot veniant fluctus, rúere atque irrúmpere mortes.
Non tenet hic lácrymas; stupet hic; vocat ille beatos,
Fúnera quos maneant; hic votis numen adorat,
Brachíaque ad cœlum, quod non videt, írrita tollens
Poscit opem; subeunt illi fratresque paresque;
Huic cum pignóribus domus, et quodcuique relictum est.
Halcyone Ceyca movet; Ceycis in ore
Nulla nisi Halcyone est: et, quum desíderet unam,
Gaudet abesse tamen: patriæ quoque vellet ad oras
Réspicere, inque domum supremos vértere vultus:
Verum ubi sit nescit: tanta vertígine pontus
Fervet, et inducta piceis e núbibus umbra
Omne latet cœlum, duplicátaque noctis imago est!
Frángitur incursu nimbosi túrbinis arbos;
Frángitur et régimen; spoliisque animosa superstans
Unda, velut victrix, sinuatas déspicit undas;
Nec levius, quam si quis Athon, Pindumve, revulsos

Sede sua, totos in apertum evérterit æquor,
Præcipitata ruit; pariterque et póndere et ictu
Mergit in ima ratem: cum qua pars magna virorum
Gúrgite pressa gravi, neque in áera rédditа, fato
Functa suo est: alii partes et membra carinæ
Trunca tenent: tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Frágmina navigii Ceyx; socerumque patremque
Ínvocat, heu! frustra, sed plúrima nantis in ore
Halcyone conjux; illam meminitque refertque;
Illius ante óculos ut agant sua córpora fluctus,
Optat; et exánimis máníbus tumuletur amicis.
Dum natat, absentem, quoties sinit híscere fluctus,
Nóminat Halcyonen, ipsisque immúrmurat undis.
Ecce super medios fluctus niger arcus aquarum
Frángitur; et rupta mersum caput obruit unda.
Lúcifer obscurus, nec quem cognóscere posses,
Illa nocte fuit; quoniamque excédere olympo
Non licuit, densis texit sua núbibus ora.
Áeolis interea tantorum ignara malorum
Dinúmerat noctes; et jam, quas induat ille,
Festinat vestes; jam quas, ubi vénerit ille,
Ipsa gerat; reditusque sibi promititt inanes.
Ómnibus illa quidem súperis pia tura ferebat;
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat;
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras;
Utque foret sospes conjux suus, utque rediret,
Optabat, nullamque sibi præferret: at illi
Hoc de tot votis póterat contíngere solum.
At dea non ultra pro functo morte rogari
Sústinet: utque manus funestas arceat aris,

«Iri, meæ, dixit, fidíssima nuntia vocis,
Vise soporíferam Somni velóciter aulam;
Exstinctique jube Céycis imágine mittat
Somnia ad Halcyonen, veros imitantia casus.»
Díxerat: indúltur velámina mille colorum
Iris, et arquato cœlum curvámine signans
Tecta petit jussi sub rupe latentia regis.
Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni;
Quo nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve
Phœbus adire potest: nébulæ calígine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepúscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cántibus oris
Évocat Auroram; nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.
Non fera, non pécudes, non moti flámine rami,
Humanæve sonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies hábitat: saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes; per quem cum múrmure labens
Invitat somnos crepitántibus unda lapillis.
Ante fores antri fecunda papávera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, et spargit per opacas húmida terras.
Janua, quæ verso stridorem cárdine reddat,
Nulla domo tota; custos in límine nullus.
At medio torus est ébeno sublimis in antro,
Plumeus, unícolor, pullo velámine tectus,
Quo cubat ipse deus, membris languore solutis.
Hunc circa passim, varias imitantia formas,
Somnia vana jacent tótidem, quot messis aristas,

Silva gerit frondes, ejectas litus arenas.
Quo simul intravit, manibusque obstantia virgo
Somnia dimovit, vestis fulgore reluxit
Sacra domus; tardaque deus gravitate jacentes
Vix óculos tollens, iterumque iterumque relabens
Súmmaque percutiens nutanti péctora mento,
Excussit tandem sibi se; cubitoque levatus,
Quid veniat, cognorat enim, scitatur; at illa:
«Somne, quies rerum; placidíssime, Somne, deorum,
Pax ánimi, quem cura fugit; qui corda diurnis
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori;
Somnia, quæ veras æquent imitámine formas,
Herculea Trachine jube, sub imágine regis,
Halcyonen adeant, simulácraque náufraga fingant.
Ímperat hoc Juno.» Postquam mandata peregit
Iris, abit; neque enim ulterius tolerare vaporis
Vim póterat; labique ut somnum sensit in artus,
Éffugit, et remeat per quos modo vénerat arcus.
At pater e pópulo natorum mille suorum
Éxcitat artíficem, simulatoremque figuræ,
Morphea: non illo jussos solertius alter
Éxprimit incessus, vultúmque sonumque loquendi:
Ádjicit et vestes, et consuetíssima cuique
Verba; sed hic solos hómines imitatur; at alter
Fit fera, fit vólucris, fit longo córpore serpens.
Hunc Ícelon súperi, mortale Phobétora vulgus
Nóminat. Est etiam diversæ tertius artis [bemque,
Phántasos; ille in humum saxumque undamque tra-
Quæque vacant ánima, felíciter omnia transit.
Régibus hi, ducibusque suos osténdere vultus

Nocte solent: pópulos alii plebemque pererrant.
Práeterit hos senior; cunctisque e frátribus unum
Morphea, cui péragat Thaumántidos édita, Somnus
Éligit: et rursus molli languore solutus,
Deposuitque caput, stratoque recóndidit alto.
Ille volat, nullos strépitus faciéntibus alis,
Per ténebras, intraque moræ breve tempus in urbem
Pérvenit Hæmoniam: positisque e córpore pennis
In faciem Ceycis abit, formaque sub illa
Lúridus, exsangui símilis, sine véstibus ullis,
Cónjugis ante torum míseræ stetit: uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso,
Hæc ait: «Agnoscis Ceyca, misérrima conjux?
An mea mutata est facies nece? réspice; nosces,
Inveniesque tuo pro cónjuge cónjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt:
Occídimus: falso tibi me promíttere noli.
Núbilus Ægæo deprendit in áequore navim
Auster, et ingenti jactatam flámine solvit:
Óraque nostra, tuum frustra clamantia nomen,
Implerunt fluctus: non hæc tibi nuntiat auctor
Ambiguus; non ista vagis rumóribus audis:
Ipse ego fata tibi præsens mea náufragus edo.
Surge, age, da lácrymas, lugubríaque indue, nec me
Indeploratum sub inania tártara mitte.»
Ádjicit his vocem Morpheus, quam cónjugis illa
Créderet esse sui; fletus quoque fúndere veros
Visus erat; gestumque manus Ceycis habebant.
Íngemit Halcyone lácrymans, movet atque lacertos

Per somnum: corpusque petens ampléctitur auras;
Exclamatque: «Mane... quo te rapis? íbimus una.»
Voce sua, specieque viri turbata soporem
Excutit, et primo si sit circúmspicit illic,
Qua modo visus erat; nam moti voce ministri
Intúlerant lumen; postquam non ínvenit usquam,
Pércutit ora manu, laniatque a péctore vestes,
Pectóraque ipsa ferit: nec crinem sólvere curat;
Scindit; et altrici, quæ luctus causa, roganti,
Nulla est Halcyone, nulla est, ait: óccidit una
Cum Ceyce suo: solantia tóllite verba:
Náufragus interiit: vidi, agnovique, manusque
Ad descendentem cupiens retinere tetendi.
Umbra fuit; sed et umbra tamen manifesta, virique
Vera mei: non ille quidem, si quæris, habebat
Adsuetos vultus; nec, quo prius, ore nitebat.
Pallentem, nudumque, et adhue humente capillo,
Infelix, vidi: stetit hoc miserábilis ipso
Ecce loco: (et quærit vestigia si qua supersint).
Hoc erat, hoc ánimo quod divinante timebam,
Et ne, me fugiens, ventos sequerere rogabam.
At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoque duxisses, tecum fuit útile, tecum
Ire mihi; neque enim de vitæ témpore quidquam
Non simul egissem; nec mors discreta fuisset.
Nunc absens pereo: jactor nunc flúctibus absens;
Et sine me me pontus habet: crudelior ipso
Sit mihi mens pélago, si vitam dúcere nitar
Longius, et tanto pugnem superesse dolori.
Sed neque pugnabo; nec te, miserande, relinquam;

Et tibi nunc saltem veniam comes; inque sepulcro
Si non urna, tamen junget nos lítera; si non
Óssibus ossa meis, at nomen nómine tangam».
Plura dolor próhibet; verboque intérvenit omni
Plangor, et attónito gémitus e corde trahuntur.
Mane erat: egréditur tectis ad litus, et illum
Mœsta locum répetit, de quo spectarat euntem,
Dumque: «Moratus ibi», dumque: «Hic retinácula [solvít,
Hoc mihi discedens dedit óscula lítore», dicit;
Dumque notata óculis reminíscitur acta, fretumque
Próspicit; in líquida, spatio distante, tuetur
Nescio quid, quasi corpus, aqua; primoque, quid illud
Esset, erat dubium: postquam paulo ádpulit unda,
Et, quamvis áberat, corpus tamen esse liquebat;
Qui foret, ignorans, quia náufragus, ómine mota est:
Et, tamquam ignoto lácrymas daret, «Heu! miser, inquit
Quisquis, es, et si qua est conjux tibi!» Flúctibus actum
Fit propius corpus. quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus et minus est mentis, jam jamque propinquæ
Admotum terræ, jam quod cognóscere posset,
Cernit: erat conjux: «Ille est!» exclamat, et una
Ora, comas, vestem lácerat; tendensque trementes
Ad Ceyca manus. «Sic, o caríssime conjux,
«Sic ad me, miserande, redis!» ait. Ádjacet undis
Facta manu moles, quæ primas áequoris iras
Frangit, et incursus quæ prædelassat aquarum.
Insilit huc, mirumque fuit potuisse: volabat;
Percutiensque levem modo natis áera pennis,
Stringebat summas ales miserábilis undas.
Dumque volat, mœsto símilem, plenumque querelæ

Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro.
Ut vero tétigit mutum et sine sánguine corpus,
Dilectos artus amplexa recéntibus alis,
Frígida nequicquam duro dedit óscula rostro.
Sénserit: hoc Ceyx, an vultum mótibus undæ
Tóllere sit visus, pópulus dubitabat; at ille
Sénserat: et tandem, súperis miserántibus, ambo
Álite mutantur: fatis obnoxius isdem
Tunc quoque mansit amor; nec conjugiale solutum
Fœdus in alítibus: coeunt, fiuntque parentes;
Perque dies plácidos, hiberno témpore, septem
Íncubat Halcyone pendéntibus áequore nidis.
Tum via tuta maris: ventos custodit, et arcet
Áeolus egressu, præstatque nepótibus æquor.

PITÁGORAS

(15, 60—141)

Vir fuit hic ortu Samius: sed fúgerat una
Et Samon, et dóminos; odioque tyránnidis exsul
Sponte erat: isque, licet cœli regione remotos,
Mente deos adiit; et, quæ natura negabat
Vísibus humanis, óculis ea péctoris hausit.
Quumque ánimo, et vígili perspéxerat omnia cura,
In medium discenda dabat; cœtusque silentum
Díctaque mirantum, magni primordia mundi,
Et rerum causas, et quid natura, docebat;
Quid Deus; unde nives; quæ fúlminis esset origo;
Júpiter, an venti, discussa nube, tonarent;
Quid quáteret terras; qua sídera lege mearent;

Et quodcumque latet; primusque animalia mensis
Arguit imponi: primus quoque tálibus ora
Docta quidem solvit, sed non et crédita, verbis:
«Párcite, mortales, dápibus temerare nefandis
Córpora: sunt fruges, sunt deducentia ramos
Póndere poma suo, tumidæque in vítibus uvæ.
Sunt herbæ dulces, sunt, quæ mitéscere flamma,
Mollirique queant: nec vobis lacteus humor
Erípitur, nec mella thymi redolentia florem.
Pródiga divitias, aliméntaque mitia tellus
Súggerit, atque épulas sine cæde et sánguine præbet.
Carne feræ sedant jejunia; nec tamen omnes:
Quippe equus, et pécudes, arméntaque grámine vivunt.
At quibus ingenium est immansuetumque, ferumque,
Armeniæque tigres, iracundique leones,
Cumque lupis ursi, dápibus cum sánguine gaudent.
Heu quantum scelus est, in víscera víscera condi,
Congestoque ávidum pinguéscere córpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vívere leto!
Scílicet in tantis ópibus, quas óptima matrum
Terra parit, nil te nisi tristia mándere sævo
Vúlnera dente juvat, ritusque referre cyclopnm?
Nec, nisi perdíderis alium, placare voracis,
Et male morati póteris jejunia ventris?
A vetus illa ætas, cui fécimus aurea nomen,
Foétibus arboreis, et, quas humus éducat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc et aves tutas movere per áera pennas,
Et lepus impávidus mediis erravit in agris:
Nec sua credúlitas piscem suspénderat hamo.

Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plénaque pacis erant. Postquam non útilis auctor
Víctibus invidit (quisquis fuit ille) virorum,
Corporeasque dapes ávidam demersit in alvum,
Fecit iter scéleri; primaque e cæde ferarum
Incaluisse putem maculatum sánguine ferrum:
Idque satis fúerat; nostrumque petentia letum
Córpora missa neci salva pietate fatemur;
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt.
Longius inde nefas abiit; et prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia sémina pando
Erúerit rostro, spemque intercéperit anni.
Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras
Dícitur ultoris; nocuit sua culpa duobus.
Quid meruistis, oves, plácidum pecus, inque tuendos
Natum hómines, pleno quæ fertis in úbere nectar?
Mollia quæ nobis vestras velámina lanas
Præbetis, vitaque magis, quam morte juvatis.
Quid meruere boves, ánimal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Ímmemor est demum, nec frugum múnere dignus,
Qui potuit curvi demto modo póndere aratri
Ruricolam mactare suum; qui trita labore
Illa, quibus toties durum renováverat arvum,
Tot déderat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, quod tale nefas commíttitur; ipsos
Inscripsere deos scéleri, numenque supernum
Cæde laboríferi credunt gaudere juvenci.
Víctima labe carens, et præstantíssima forma,
(Nam placuisse nocet), præsignis et auro,

Sístitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique suæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit, fruges; percússaque sánguine cultros
Ínficit in líquida prævisos fórsitan unda.
Prótinus ereptas viventi péctore fibras
Inspiciunt, mentesque deum scrutantur in illis.
Unde fames hómini vetitorum tanta ciborum?
Audetis vesci, genus o mortale? quod, oro,
Ne fácite; et mónitis ánimos advértite nostris;

FASTI

JANO
(1,254)

Témpora cum causis Latium digesta per annum,
  Lápsaque sub terras, órtaque signa, canam.
Éxcipe pacato, Cæsar Germánice, vultu
  Hoc opus; et tímidæ dírige navis iter:
Officiique levem non aversatus honorem,
  In tibi devoto múnere dexter ades.
Sacra recognosces annálibus éruta priscis;
  Et quo sit mérito quæque notata dies.
Invenies illic et festa doméstica vobis:
  Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus:
Quæque ferunt illi pictos signantia fastos,
  Tu quoque cum Druso præmia fratre feres.
Cáesaris arma canant alii; nos Cáesaris aras;
  Et quoscumque sacris áddidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum;

Deque meo pávidos éxcute corde metus.
Da mihi te plácidum; déderis in cármina vires:
Ingenium vultu statque caditque tuo.
Página judicium docti subitura movetur
Príncipis, ut Clario missa legenda deo.
Quæ sit enim culti facundia sénsimus oris,
Cívica pro trépidis quum tulit arma reis.
Scimus et, ad nostras quum se tulit ímpetus artes,
Ingenii currant flúmina quanta tui.
Si licet, et fas est, vates rege vatis habenas:
Áuspice te felix totus ut annus eat. 26
—Témpora digéreret quum cónditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Scílicet arma magis, quam sídera, Rómule, noras:
Cúraque finítimos víncere major erat.
Est tamen et ratio, Cæsar, quæ móverit illum:
Errorémque suum quo tueatur, habet.
Quod satis est, útero matris dum prodeat infans;
Hoc anno statuit témporis esse satis.
Per tótidem menses a fúnere cónjugis uxor
Sústinet in vidua tristia signa domo.
Hoc ígitur vidit trabeati cura Quirini,
Quum rúdibus pópulis annua jura daret.
Martis erat primus mensis, Venerisque secundus
Hæc géneris princeps, ipsius ille pater:
Tertius a sénibus; júvenum de nómine quartus:
Quæ séquitur número turba notata fuit.
At Numa nec Janum, nec avitas práeterit umbras,
Ménsibus antiquis apposuitque duos.
Ne tamen ignores variorum jura dierum:

Non habet officii lúcifer omnis idem.
Ille nefastus erit per quem tria verba (1) silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.
Neu toto perstare die sua jura putaris;
Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.
Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari,
Vérbaque honoratus líbera prætor habet;
Est quoque, quo pópulum jus est inclúdere septis;
Est quoque, qui nono semper ab orbe redit.
Víndicat Ausonias Junonis cura kalendas:
Ídibus alba Jovi grandior agna cadit:
Nonarum tutela deo caret; ómnibus istis,
Ne fallare cave, próximus ater erit.
Omen ab eventu est: illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.
Hæc mihi dicta semel, totis hærentia fastis,
Ne seriem rerum scíndere cogar, erunt.
—Ecce tibi faustum, Germánice, nuntiat annum;
Inque meo primus cármine Janus adest.
Jane biceps, anni tácite labentis origo;
Solus de súperis qui tua terga vides;
Dexter ades dúcibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades patribusque tuis, populoque Quirini:
Et résera nutu cándida templa tuo.
Próspera lux óritur: linguisque animisque favete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

---

(1) *Do, dico, addico,* las tres fórmulas judiciales = negocios forenses.

Lite vacent aures, insánaque prótinus absint
  Jurgia: differ opus, lívida turba, tuum.
Cernis, odoratis ut luceat ígnibus æther;
  Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum vérberat aurum,
  Et trémulum summa spargit in æde jubar.
Véstibus intactis Tarpeias itur in arces;
  Et pópulus festo cóncolor ipse suo est.
Jamque novi præeunt faces; nova púrpura fulget;
  Et nova conspicuum póndera sentit ebur.
Colla rudes óperum præbent ferienda juvenci,
  Quos aluit campis herba Falisca suis.
Júpiter, arce sua totum quum spectet in orbem,
  Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve, læta dies, meliorque revértere semper,
  A pópulo rerum digna potente coli.
Quem tamen esse deum te dicam, Jane biformis?
  Nam tibi par nullum Græcia numen habet.
Ede simul causam, cur de cœléstibus unus,
  Sitque quod a tergo, sitque quod ante, vides.
Hæc ego, quum sumtis agitarem mente tabellis,
  Lucidior visa est, quam fuit ante, domus.
Tum sacer, ancípiti mirandus imágine, Janus
  Bina repens óculis óbtulit ora meis.
Obstupui; sensique metu riguisse capillos;
  Et gélidum súbito frígore pectus erat.
Ille, tenens dextra báculum, clavemque sinistra,
  Édidit hos nobis ore priore sonos:
Disce, metu pósito, vates operose dierum,

Quod petis, et voces pércipe mente meas
Me Chaos antiqui, nam res sum prisca, vocabant.
Ádspice, quam longi témporis acta canam
Lúcidus hic aer, et, quæ tria córpora restant,
Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant.
Ut semel hæc rerum secessit lite suarum,
Inque novas abiit massa soluta domos,
Flamma petit altum; propior locus áera cepit:
Sederunt medio terra fretumque solo.
Tunc ego, qui fúeram globus, et sine imágine moles,
In faciem redii, dígnaque membra deo.
Nunc quoque (confusæ quondam nota parva figuræ)
Ante quod est in me, postque videtur idem.
Áccipe, quæsitæ quæ causa sit áltera formæ;
Hanc simul ut noris, officiumque meum.
Quidquid ubique vides: cœlum, mare, núbila, terras;
Omnia sunt nostra clausa patentque manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi:
Et jus vertendi cárdinis omne meum est.
Quum libuit Pacem plácidis emíttere tectis,
Líbera perpetuas ámbulat illa vias.
Sánguine letífero totus miscébitur orbis,
Ni teneant rígidæ cóndita bella seræ.
Præsideo fóribus cœli cum mítibus Horis:
It, redit officio Júpiter ipse meo:
Inde vocor Janus.—Cui quum Cereale sacerdos
Imponit libum, míxtaque farra sali;
Nómina ridebis; modo namque Patulcius idem
Et modo sacrífico Clusius ore vocor.
Scílicet alterno voluit rudis illa vetustas

Nómine diversas significare vices.
Vis mea narrata est: causam nunc disce figuræ.
Jam tamen hanc áliqua tu quoque parte vides.
Omnis habet géminas, hinc atque hinc, janua frontes;
E quibus hæc pópulum spectat, at illa larem.
Utque, sedens vester primi prope límina tecti
Jánitor, egressus introitusque videt;
Sic ego prospicio, cœlestis jánitor aulæ,
Eóas partes, Hesperiasque simul.
Ora vides Hécates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas cómpita secta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis témpora perdam,
Cérnere non moto córpore bina licet.»
—Díxerat: et vultu, si plura requírere vellem,
Se mihi diffícilem non fore fassus erat.
Sumsi ánimum, gratesque deo non térritus egi:
Vérbaque sum spectans pauca locutus humum:
«Dic, age, frigóribus quare novus íncipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent: tunc est nova témporis ætas;
Et nova de grávido pálmite gemma tumet;
Et modo formatis amícitur fróndibus arbos;
Prodit et in summum séminis herba solum;
Et tépidum vólucres concéntibus áera mulcent;
Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tum blandi soles; ignótaque prodit hirundo;
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Tum pátitur cultus ager, et renovatur aratro:
Hæc anni nóvitas jure vocanda fuit».
Quæsíeram multis; non multis ille moratus,

Cóntulit in versus sic sua verba duos:
«Bruma novi prima est, veterisque novíssima solis:
Principium capiunt Phœbus et annus idem»,
Post ea mirabar, cur non sine lítibus esset
Prima dies: «Causam pércipe, Janus ait,
Témpora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam sólitum testificatur opus».
Mox ego: «Cur, quamvis aliorum númina placem,
Jane, tibi primo tura merumque fero?
—«Ut per me possis áditum, qui límina servo,
Ad quoscumque velim prorsus habere deos».
—«At cur læta tuis dicuntur verba kalendis;
Et damus alternas, accipimusque preces?»
Tum deus incumbens báculo, quem dextra gerebat:
«Omina principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem tímidas advértitis aures:
Et visam primum cónsulit augur avem.
Templa patent, auresque deum: nec lingua caducas
Cóncipit illa preces, díctaque pondus habent».
Desíerat Janus: nec longa silentia feci:
Sed tétigi verbis última verba meis:
«Quid vult palma sibi rugósaque cárica, dixi,
Et data sub niveo cándida mella cado?»
«Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,
Et péragat cœptum dulcis ut annus iter».
—Dulcia cur dentur, video: stipis ádjice causam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo».
Risit, et «O quam te fallunt tua sáecula, dixit,

Qui stipe mel sumta dulcius esse putas!
Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cujus non ánimo dulcia lucra forent.
Témpore crevit amor, qui nunc est summus, habendi:
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci témporis annis;
Dum pópulus pauper, dum nova Roma fuit;
Dum casa Martígenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum flúminis ulva torum.
Jupíter angusta vix totus stabat in æde:
Inque Jovis dextra fíctile fulmen erat.
Fróndibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis,
Pascebatque suas ipse senator oves.
Nec pudor in stípula plácidam cepisse quietem,
Nec fœnum cápiti supposuisse, fuit.
Jura dabat pópulis pósito modo consul aratro,
Et levis argenti lámina crimen erat.
At postquam fortuna loci caput éxtulit hujus,
Et tétigit summos vértice Roma deos,
Creverunt et opes, et opum furiosa cupido;
Et, quum possideant plúrima, plura volunt.
Quáerere ut absumant, absumta requírere certant;
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc est: dat census honores;
Census amicitias; pauper ubique jacet.
Tu tamen, auspicium si sit stipis útile, quæris,
Curque juvent nostras æra vetusta manus:
Æra dabant olim; melius nunc omen in auro est:

Víctaque concedit prisca moneta novæ.
Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea; majestas cónvenit ista deo.
Laudamus véteres, sed nostris útimur annis:
Mos tamen est æque dignus uterque coli».
Finíerat mónitus: plácidis ita rursus, ut ante,
Clavígerum verbis álloquor ipse deum:
«Multa quidem dídici: sed cur navalis in ære
Áltera signata est, áltera forma biceps?»
Nóscere me dúplici posses in imágine, dixit;
Ni vetus ipsa dies extenuaret opus.
Causa ratis supérest: Tuscum rate venit in amnem
Ante pererrato fálcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum mémini tellure receptum:
Cœlítibus regnis ab Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen.
Dicta quoque est Latium terra, latente deo.
At bona postéritas puppim servavit in ære,
Hóspitis adventum testificata dei.
Ipse solum colui; cujus placidíssima lævum
Radit arenosi Tíbridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma est, incædua sylva virebat;
Tántaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem cultrix nómine nostro
Núncupat hæc ætas, Janiculumque vocat.
Tunc ego regnaban, patiens quum terra deorum
Esset, et humanis númina mixta locis.
Nondum Justitiam fácinus mortale fugarat;
Última de súperis illa reliquit humum:
Proque metu pópulum sine vi pudor ipse regebat:

Nullus erat justis réddere jura labor.
Nil mihi cum bello: pacem postesque tuebar
(Et clavem ostendens), Hæc, ait, arma gero.

REPOSO. — PAZ.

(1, 657 - 723)

Ter quater evolvi signantes témpora fastos;
Nec Sementiva est ulla reperta dies:
Quum mihi, sensit enim, lux hæc indícitur, inquit
Musa: «Quid a fastis non stata sacra petis?
Utque dies incerta sacro, sic témpora certa;
Semínibus jactis est ubi fœtus ager.
State coronati plenum ad præsepe juvenci,
Quum tépido vestrum vere redibit opus.
Rústicus eméritum palo suspendat aratrum:
Omne reformidat frígida vulnus humus.
Víllice, da requiem terræ, semente peracta:
Da requiem; terram qui coluere, viris.
Pagus agas festum: pagum lustrate, coloni;
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum, Tellusque Ceresque,
Farre suo, grávidæ visceribusque suis.
Officium commune Ceres et Terra tuentur;
Hæc præbet causam frúgibus, illa locum.
Consortes óperum, per quas correcta vetustas,
Quérnaque glans victa est utiliore cibo;
Frúgibus immensis ávidos satiate colonos,

Ut capiant cultus præmia digna sui.
Vos date perpetuos téneris seméntibus auctus:
Nec nova per gélidas herba sit usta nives.
Quum sérimus, cœlum ventis aperite serenis:
Quum latet, ætheria spárgite semen aqua.
Neve graves cultis Cerealia dona cavete
Ágmine læsuro depopulentur aves.
Vos quoque subjectis, formicæ, párcite granis:
Post messem prædæ copia major erit.
Interea crescat scabræ robíginis expers,
Nec vitio cœli palleat ægra seges:
Et neque deficiat macie, neque pinguior æquo
Divitiis pereat luxuriosa suis:
Et careant loliis oculos vitiántibus agri;
Nec stérilis culto surgat avena solo.
Triticeos fœtus, passúraque farra bis ignem,
Hordéaque ingenti fóenore reddat ager.
Hoc ego pro vobis, hoc vos optate, coloni:
Efficiantque ratas útraque diva preces.
Bella diu tenuere viros: erat aptior ensis
Vómere: cedebat taurus arator equo.
Sárcula cessabant; versique in pila ligones,
Fáctaque de rastri póndere cassis erat.
Gratia dis, domuique tuæ: religata catenis
Jam pridem nostro sub pede bella jacent.
Sub juga bos veniat; sub terras semen aratas:
Pax Córerem nutrit: Pacis alumna Ceres.
—At, quæ venturas præcedet sexta kalendas,
Hac sunt Ledæis templa dicata diis.
Frátribus illa deis fratres de gente deorum

Circa Juturnæ composuere lacus.—
Ipsum nos carmen deducit Pacis ad aram;
Hæc erit a mensis fine secunda dies.
Fróndibus Actíacis comptos redimita capillos,
Pax ades, et toto mitis in orbe mane.
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi:
Tu dúcibus bello gloria major eris.
Sola gerat miles, quibus arma coerceat, arma;
Canteturque fera nil, nisi pompa, tuba.
Horreat Ænéadas et primus et últimus orbis;
Si qua parum Romam terra timebat, amet.
Tura, sacerdotes, pacálibus áddite flammis;
Álbaque percussa víctima fronte cadat.
Utque domus, quæ præstat eam, cum Pace perennet,
Ad pia propensos vota rogate deos.

ARIÓN.

(2, 91-119)

Cynthia sæpe tuis fertur, vocalis Aríon,
Tamquam fraternis obstupuisse modis.
Nomen Arionium Sículas impléverat urbes,
Cáptaque erat lyricis Áusonis ora sonis;
Inde domum répetens puppim conscendit Aríon,
Atque ita quæsitas arte ferebat opes.
Fórsitan, infelix, ventos undamque timebas;
At tibi nave tua tutius æquor erat:
Namque gubernator destricto cónstitit ense,

Cætéraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, návita, pinum;
Non sunt hæc dígitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, «Mortem non déprecor, inquit;
Sed liceat sumta pauca referre lyra».
Dant veniam, ridentque moram: capit ille coronam,
Quæ possit crines, Phœbe, decere tuos:
Indúerat Tyrio bis tinctam múrice pallam:
Réddidit icta suos póllice chorda sonos;
Flebílibus véluti númeris canentia dura
Trajectus penna témpora cantat olor.
Prótinus in medias ornatus désilit undas,
Spárgitur impulsa cáerula puppis aqua.
Inde, fide majus, tergo delphina recurvo
Se mémorant óneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet, pretiumque vehendi,
Cantat, et æquoreas cármine mulcet aquas.
Dî pia facta vident: astris delphina recepit
Júpiter, et stellas jussit habere novem.

SILENO Y EL PANAL.

(3, 735 - 763)

Liba deo fiunt, succis quia dúlcibus ille
Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoso sátyris comitatus ab Hebro:
(Non habet ingratos fábula nostra jocos)
Jamque erat ad Rhódopen, Pangáeaque flórida ventum,
Æríferæ cómitum concrepuere manus.
Ecce novæ coeunt vólucres tinnítibus actæ;

Quaque movent sónitus æra, sequuntur apes. 742
Cólligit errantes, et in árbore claudit inani
Liber; et inventi præmia mellis habet.
Ut sátyri, levisque senex tetigere saporem,
Quærebant flavos per nemus omne favos.
Audit in exesa stridorem exáminis ulmo;
Ádspicit et ceras; dissimulatque senex:
Utque piger pandi tergo residebat aselli,
Ápplicat hunc ulmo, corticibusque cavis.
Cónstitit ipse super ramoso stípite nixus;
Atque ávide trunco cóndita mella petit.
Millia crabronum coeunt; et vértice nudo
Spícula defigunt, óraque summa notant.
Ille cadit præceps, et calce feritur aselli;
Inclamatque suos, auxiliumque rogat.
Concurrunt sátyri, turgentíaque ora parentis
Rident: percusso cláudicat ille genu.
Ridet et ipse deus; limumque indúcere monstrat:
Hic paret mónitis, et linit ora luto.
Melle pater frúitur; liboque infusa calenti
Jure repertori cándida mella damus.

LA ZORRA PELIGNA.

(4, 683 - 713)

Frígida Carséolis, nec olivis apta ferendis,
Terra, sed ad ségetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam,

Parva, sed assiduis húmida semper aquis.
Hóspitis antiqui sólitas intrávimus ædes:
Démserat eméritis jam juga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, sed et hæc narrare solebat,
Unde meum præsens instrueretur opus:
«Hoc, ait, in campo (campumque ostendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum: sive usus aratri,
Sive cavæ falcis, sive bidentis erat.
Hæc modo verrebat stantem tibícine villam;
Nunc matris plumis ova fovenda dabat:
Aut vírides malvas, aut fungos cólligit albos;
Aut húmilem grato cálfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis;
Adversumque minas frígoris arma parat.
Filius hujus erat primo lascivus in ævo;
Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem sub valle salicti:
Abstúlerat multas illa cohortis aves.
Captivam stípula fœnoque involvit et ignes
Ádmovet: urentes éffugit illa manus 706
Qua fugit, incendit vestitos méssibus agros:
Damnosis vires ígnibus aura dabat.
Factum abiit; monumenta manent: nam vívere captam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat pœnas gens hæc, Cereálibus ardet;
Quoque modo ségetes pérdidit, ipsa perit.»

APÉNDICE

HIMNOLOGÍA ECLESIÁSTICA.

Jesu dulcis, amor meus,
ac si præsens sis, accedo;
te complector cum affectu,
tuorum memor vúlnerum.

O quam nudum hic te cerno,
laceratum et distentum,
inquinatum, involutum
in hoc sacrato tégmine.

Salve, caput, cruentatum
spinis, cujus dulcis vultus
immutavit suum florem,
quem cœli tremit curia.

Salve, latus Salvatoris,
salve, mitis apertura,
super rosam rubicunda,
medela salutífera.

Manus sanctæ, vos avete,
diris clavis perforatæ;
ne repellas me, Salvator,
de tuis sanctis pédibus.

I

1.

Cœlestis aulæ nuntius,
arcana pandens Núminis,
plenam salutat gratia
Dei parentem vírginem.

Virgo propinquam sánguine
matrem Joannis vísitat;
qui clausus alvo gestiens
adesse Christum nuntiat.

Verbum, quod ante sáecula,
e mente Patris prodiit,
e matris alvo vírginis
mortalis infans náscitur.

Templo puellus sístitur,
legique paret légifer;
hic se Redemptor páupere
pretio redemptus ímmolat.

Quem jam dolebat pérditum,
mox læta mater ínvenit,
ignota doctis méntibus
edisserentem filium.

2.

In horto olivis cónsito
Redemptor orans prócidit;
mœret, pavescit, déficit,
sudore manans sánguinis.

A proditore tráditus,
raptatur in pœnas Deus,
dirisque vinctus néxibus
flagris cruentis cáeditur.

Intexta acutis séntibus,
corona contumeliæ,
squallenti amictum púrpura,
regem coronat gloriæ.

Molis crucem ter arduæ,
sudans, anhelans, cóncidens,
ad montis usque vérticem
gestare vi compéllitur.

Confixus atro stípite
inter scelestos ínnocens,
orando pro tortóribus,
exsanguis efflat spíritum.

3.

Jam morte victor óbruta
ab ínferis Christus redit,
fractisque culpæ vínculis,
cœli recludit límina.

Visus satis mortálibus,
ascendit ad cœlestia,
dextræque Patris ássidet,
consors paternæ gloria.

Quem jam suis promíserat,
sanctum daturus Spíritum,
linguis amoris igneis
mœstis alumnis impluit.

Soluta carnis póndere,
ad astra Virgo tóllitur,
excepta cœli júbilo
et angelorum cánticis.

Bis sena cingunt sídera
almæ parentis vérticem:
throno propinqua filii,
cunctis creatis ímperat.

II

Te gestientem gaudiis,
te sauciam dolóribus,
te jugi amictam gloria,
o virgo mater, pángimus.

Ave, redundans gaudio
dum cóncipis, dum vísitas,
et edis, offers, ínvenis,
mater beata, filium.

Ave, dolens et íntimo
in corde agonem, vérbera,
spinas crucemque filii
perpessa, princeps mártyrum.

Ave, in triumphis filii,
in ígnibus Paráclití,
in regni honore et lúmine,
regina fulgens gloria.

Venite, gentes, cárpite
ex his rosas mysteriis,
et pulchri amoris ínclytæ
matri coronas néctite.

I

O lux beata cóelitum
et summa spes mortalium,
Jesu, o cui doméstica
arrisit orto cáritas;

Maria, dives gratia,
o sola quæ casto potes
fovere Jesum péctore,
cum lacte donans óscula.

Tuque ex vetustis pátribus
delecte custos vírginis,
dulci patris quem nómine
divina proles ínvocat.

De stirpe Jesse nóbili
nati in salutem gentium,
audite nos, qui súpplices
vestras ad aras sístimus.

Dum sol redux ad vésperum
rebus nitorem détrahit,
nos hic manentes íntimo
ex corde vota fúndimus:

Qua vestra sedes floruit
virtutis omnis gratia,
hanc detur in domésticis
referre posse móribus

II

Sacra jam splendent decorata lychnis
templa; jam sertis redimitur ara
et pio fumant redolentque acerræ
thuris honore.

Num juvet summo géniti Parente
regios ortus celebrare cantu?
num domus David décora et vetustæ
nómina gentis?

Gratius nobis memorare parvum
Názaræ tectum, tenuemque cultum;
gratius Jesu tácitam referre
cármine vitam.

Nili ab extremis peregrinus oris,
ángeli ductu própere remigrat
multa perpessus puer, et paterno
límine sospes.

Arte, qua Joseph, húmili excolendus
ábdito Jesus juvenescit ævo,
seque fabrilis socium laboris
ádjicit ultro.

«Írriget sudor mea membra (dixit),
ántequam sparso mádidus cruore:
hæc quoque humano géneri expiando
pœna luatur.»

Ássidet nato pia mater almo;
Ássidet sponso bona nupta, felix
si potest curas relevare fessis
múnere amico.

O, neque expertes óperæ et laboris,
nec mali ignari, míseros juvate,
quos reluctantes per acuta rerum
urget egestas:

démite his fastus quibus ampla splendet
fáustitas; mentem date rebus æquam;
quotquot implorant cólumen, benigno
cérnite vultu.

III

O gente felix hóspita
augusta sedes Názaræ
Quæ fovit alma ecclesiæ
et prótulit primordia.

Sol qui pererrat aureo
terras jacentes lúmine,
nil gratius per sáecula
hac vidit æde, aut sanctius.

Ad hanc frequentes cónvolant
cœlestis aulæ nuntii;
virtutis hoc sacrarium
visunt, revisunt, éxcolunt.

Qua mente Jesus, qua manu
optata patris pérficit!
Quo virgo gestit gaudio
materna obire múnera!

Adest amoris párticeps
curæque Joseph cónjugi,
quos mille jungit néxibus,
virtutis auctor, gratia.

Hi diligentes ínvicem
in Jesu amorem confluunt;
utrique Jesus mutuæ
dat caritatis præmia.

Sic fiat, ut nos cáritas
jungat perenni fóedere,
pacemque alens doméstica m,
amara vitæ témperet.

ERRATA:

			Pág.	Lín.
g*e*nus.........	léase:	genus.........	105	13
desideri*u*m....	»	des*i*derium....	105	18
trecenis.......	»	trecen*i*s.......	107	5
G*e*ryon*e*n.....	»	Ger*y*on*e*n.....	107	8
Baucís........	»	Baucis.........	164	

ÍNDICE

1ª PARTE. — PROSA

2ª PARTE. — POESÍA.

Bol. Anales Univ. 1907

p. 187 n° 239